# BÜCHER AUGUSTINISCHER UND FRANZISKANISCHER GEISTIGKEIT

Herausgegeben von der
Arbeitsgemeinschaft Wissenschaft und Weisheit

*Erste Reihe: Texte und Forschungen*

(Abteilung A: Texte, Band 1)

*Erster Band:*

Ioannis Duns Scoti Tractatus de Primo Principio

Verlag Herder & Co., G. m. b. H., Freiburg im Breisgau

# IOANNIS DUNS SCOTI
# TRACTATUS DE PRIMO PRINCIPIO

Editionem criticam

curavit

Marianus Müller OFM

Lector et Doctor Philosophiae ac Theologiae
in Conventu Monaco-Gladbacensi

Herder & Co Friburgi Brisgoviae 1941

Imprimi potest. — Duesseldorpii, die 21. Maii 1940
Fr. Servatius Schittly OFM, Min. Prov.
Imprimatur. — Aquisgrani, die 27. Iulii 1940
Boeckem, Vic. Gen.

Welzel-Druck, Köln-Kalk.

FAUTORI MAGNANIMO

ADIUTORI STRENUO

STUDIORUM AC ARTIUM
PROVINCIAE COLONIENSIS OFM
IMPRIMIS
SOCIETATIS LITERARUM CUI NOMEN
« WISSENSCHAFT UND WEISHEIT »

PATRI SERVATIO SCHITTLY OFM
PROVINCIALI

SACRUM

# PRAEFATIO GENERALIS

## De scopo huius collectionis.

Cum operis aurei B. Ioannis Duns Scoti, quod inscribitur TRACTATUS DE PRIMO PRINCIPIO, prima editio critica in collectione librorum, cui titulus ‚Bücher augustinischer und franziskanischer Geistigkeit', foras detur et primae seriei huius collectionis ‚Texte und Forschungen' sit tomus primus, quae praefatae novae seriei, praesertim cum aliae collectiones textuum pervestigationumque eorundem iam pridem existant, ratio sit existendi necnon quomodo ad officia instituti ‚Wissenschaft und Weisheit' attineat, hoc in loco primo probandum est.

A prima origine huius instituti ad ea semper contendimus, ut Philosophia ac Theologia Augustino-Franciscanae indolis omni modo temporibus nostris prodesset. Quorum conatuum fundamentum est critica irrecusabilisque editio textuum ad disciplinas philosophicas, theologicas, mysticas spectantium una cum scientiae pervestigationibus de quaestionibus litterariis, cum sint ipsae inevitabilis condicio doctrinalium studiorum.

Cum, editionibus excellentibus perfectisque a viris doctissime eruditis iam diu publicatis, praesertim a collegio Ordinis nostri ad Claras aquas prope Florentiam (Quaracchi-Firenze), fontes Philosophiae ac Theologiae necnon Theologiae mysticae, sicut omnibus nisi fallor persuasum est, sufficienter nondum aperiantur, quia editiones universales operum omnium alicuius auctoris neque a plurimis pretio comparari possunt neque usquam alibi, nisi vero sub difficultatibus diversis, adiri queunt neque sunt utiles ad exercitationes practicas (in seminariis), ideo editiones partiales minoris amplitudinis atque criticae firmitatis, aut opuscula eximii valoris aut textus alicuius thematis undique collectos continentes, pernecessariae sunt, si forte impetum assiduum praebeamus et Philosophiae et Theologiae tam speculativae quam mysticae, quibus nostris temporibus quocumque modo deservire adstricti sumus.

Collectione textuum Augustino-Franciscalium his necessitatibus adaptata adhuc usque nondum existente, operi supra notato sufficere studeat haec nova series ‚Texte und Forschungen', in qua textus philosophici, theologici, mystici locum habeant, investigationibus tamen historicis de causis litterariis tractantibus non exclusis. A textibus minoribus vel thematice collatis, quos praecipue intendimus, alii etiam latioris amplitudinis, si modo sunt scripti ab auctoribus traditionis Franciscalis in regionibus linguae Germanicae exortis, non sint exclusi, insuper et tractatus aliquo modo scientiam nostrae traditionis attingentes, e. gr. controversorii, quia et ipsi propriae rationi prodesse possunt et hac de causa sunt scopo societatis ‚Arbeitsgemeinschaft Wissenschaft und Weisheit' congruentes, hac in serie admittantur.

Quam ergo novam seriem vere fontes Augustino-Franciscanae scientiae ac sapientiae aperturam permultisque contemporaneis spiritum et vitam praebituram esse confidenter speramus.



# PROLEGOMENA IN TRACTATUM DE PRIMO PRINCIPIO

## I. De authenticitate TRACTATUS DE PRIMO PRINCIPIO.

Tractatum de Primo Principio ab Ioanne Duns Scoto vere esse conscriptum solidis argumentis irrecusabiliter probari potest.

In omnibus textibus usque adhuc nobis cognitis hoc ‚opusculum aureum' nomini Ioannis Duns Scoti addicitur[1], et hoc est testimonium magnae auctoritatis, quia quatuor codices ante medium saeculum quartodecimum sunt scripti, scl. cod. 411 Bibliothecae Palatii Nationalis Matritensis, cod. 1405 Bibliothecae Vindobonensis, cod. 96 Bibliothecae Ecclesiae Cathedralis Dertusensis, cod. Vaticanus Latinus 869; sed et libri manu scripti posterioris temporis, qui sunt minoris valoris, Ioannem Duns Scotum huius operis auctorem dicunt (cfr. titulos respective ‚Incipit' et ‚Explicit' singulorum codicum infra descriptorum).

Discipuli Ioannis Duns Scoti durante saeculo quartodecimo persaepius citationes huius tractatus faciunt, praesertim Franciscus de Mayronis, Petrus Thomas, Antonius Andreas (qui et ‚Scotulus') et Ioannes de Reading.

Catalogus conventus S. Francisci Assisiensis, anno 1381 scriptus, veterem codicem 94/14 (nunc 136) olim „Quaestiones dicti magistri Ioannis [Duns Scoti] de Anima et de Primo Principio" habuisse memorat.

Quae traditio de auctore ‚opusculi aurei' nunquam interrupta est. Scripsit e. gr. Marianus de Florentia in suo opusculo ‚Compendium Chronicarum Fratrum Minorum': „Item eodem anno 1308, in Conventu Coloniensi Agrippine ... excessit frater Iohannis de Donis ... Hic natione de Scotia fuit, qui ab universitate Parisiensi inter ceteros doctores Doctor Subtilis appellatur ... Scripsit duo egregia et diversa scripta super Magistrum Sententiarum, quorum primum Oxoniense, alterum vero Parisiense

[1] Cfr. Müller Mar. OFM, Stand der Skotus-Forschung 1933 (Nach Ephrem Longpré OFM), in: WissWeish 1 (1934) 67.

appellatur ... Item, Tractatum de Primo Principio ..."[2].

Inde concluditur: Quin sit Doctor Subtilis Ioannes Duns Scotus auctor ‚opusculi aurei' TRACTATUS DE PRIMO PRINCIPIO, non est dubitandum.

### II. De indole huius Tractatus.

TRACTATUS DE PRIMO PRINCIPIO una cum altero THEOREMATA inscripto est systematis philosophici ac theologici secundum mentem et subtile ingenium Ioannis Duns Scoti compendium brevissimum[3]. TRACTATUS DE PRIMO PRINCIPIO argumentum stricte philosophicum de existentia Dei eiusque proprietatibus profert, THEOREMATA autem, quae et TRACTATUS DE CREDITIS, fidem christianam postulant[4].

Ioannes Duns Scotus enim „in illo Tractatu vere aureo [scl. de Primo Principio], altissima speculatione exaltans se supra se, quantum lumine naturae vel humano ingenio fieri potuit, de natura Primi Entis eiusque perfectionibus, maximis ac principiis circa illud observandis disputavit"[5]. Quibus verbis indolem et naturam huius Tractatus aurei recte esse designatam atque THEOREMATA ut eius supplementum theologicum esse accipienda, attestantur etiam verba ipsius Doctoris Subtilis: „In hoc quippe TRACTATU PRIMO [scl. de Primo Principio] tentavi videre, qualiter metaphysica de te [scl. Deo] dicta, ratione naturali aliqualiter concludantur. In sequenti [scl. Tractatu] ponentur credibilia, in quibus ratio captivatur, quae tamen eo sunt Catholicis certiora, quo non intellectui nostro caecutienti et in pluribus vacillanti, sed tuae solidissimae veritati firmiter innituntur"[5a]. Scotus ipse ergo ‚hunc tractatum primum'; speculationes metaphysicas continentem, distinguit ab altero „sequenti" de credibilibus tractante, quo THEOREMATA, respective Theorema 14—16[6], significata esse iure est concludendum[7]. Ita et duo codices, scilicet AR, etsi sunt parvi momenti critici, post „credibilia" hisce verbis utuntur: „scilicet in theorematibus"[8]. Sic ergo TRACTATUS DE PRIMO PRINCIPIO est speculatio philosophica circa ea, quae de Deo naturali rationis lumine sunt cognoscibilia, et quasi fundamentum alterius Tractatus THEOREMATA inscripti, qui est speculatio theologica rationis lumine divinitus illustratae circa ea, quae sunt de Deo credibilia.

Nota vero principalis huius opusculi Ioannis Duns Scoti et specialis est modus speculationis philosophicae, quo discipulum fidelem Seraphici Patriarchae Francisci se esse ostendit, quia omnis Doctoris Subtilis investigatio rationalis oritur ex reverentia et verecundia supereminentis divinae magnitudinis, progreditur in affectu amoris et desiderio beatificantis communicationis et fruitionis divinae bonitatis, perficitur in laudatione et praedicatione divinae infinitae perfectionis transgredientis creatam rationem. „Tractatus iste de Primo Principio" — scripsit Waddingus — „vere aureus est, in quo doctor, instar aquilae in altum volantis, quantum humano ingenio possibile esse videtur, naturam Primi rerum Principii seu causae supremae indagat et scrutatur; quod non propriis naturae viribus, sed specialibus eiusdem Primi Principii adiutoriis confortatum praestitisse, testantur et per-

---

2 In: AFH 2 (1909) 631.

3 Balić Karl OFM, Bemerkungen zur Verwendung mathematischer Beweise und zu den Theoremata bei den scholastischen Schriftstellern, in: WissWeish 3 (1936) 211: „Der Doctor Subtilis wollte uns eine Summe, eine Synthese seiner Lehre bieten in 'De Primo rerum Principio' und in den 'Theoremata', wie die alten Skotisten sagen. Skotus, dem es gelang, in seinen verschiedenen Werken sowohl den Rationalismus der Averroisten wie auch den Skeptizismus glücklich zu vermeiden, wollte nun in der Schrift 'De Primo rerum Principio' an Hand der deduktiven Methode kurz zeigen, inwieweit das, was von Gott gesagt wird, mit Hilfe der Metaphysik ‚ratione naturali aliqualiter concluderentur'; und in demselben Werkchen verspricht er ein anderes in dem Satz: „ponentur credibilia, quibus vel ad quorum assensum ratio captivatur'" [vel secundum hanc editionem criticam, infra, pag. 130: „In sequenti ponentur credibilia, in quibus ratio captivatur"].

4 Waddingus Lucas OFM, Praefatio ad Lectorem, in: Ioannis Duns Scoti Theoremata (ed. Vivès V 2): Ioannes Duns Skotus „scripsit ista [scl. Theoremata] post tractatum de Primo Principio ... optima sane methodo. Postquam enim in illo tractatu", scl. de Primo Principio, philosophice de natura Primi Entis eiusque perfectionibus etc. „disputavit, hunc adiunxit tractatum [scl. de Theorematibus] ..., complectentem, quae a speculativis Philosophis et Theologis eo loco haberi debent, quo apud Legistas et Canonistas regulae Iuris, et apud Mathematicos Euclidis elementa".

5 Waddingus L., loco cit.

5a Vide infra pag. 129 versu 15° seqq.

6 Cfr. Ioan. Duns Scoti Theoremata (ed. Vivès V 38—61, praesertim ibi pag. 38 nota 1).

7 Vide infra, pag. 129 versu 11° usque ad pag. 130 versu 5°.

8 Vide infra, pag. 130 in apparatu critico; cfr. etiam Müller Mar. OFM, Zur Edition von 'De Primo Principio', in: WissWeish 4 (1937) 226.

suadent peculiaris eius in hoc tractatu prae aliis devotio et veluti mentis in Deum continua ascensio. Ita enim materiam hanc tractat, ut non minus accendat affectum quam illuminet intellectum, atque ut Soliloquium theologicum magis esse videatur quam scholastica dissertatio. Quatuor continet Capitula, quorum singula inchoantur et finiuntur devota oratione et mentis in Deum elevatione. Capitulo quarto ad conclusionem decimam . . . altissimum instituit cum ipso Primo Principio colloquium, eius perfectiones numerans, ruminans, masticans et ad ascendendum in illud affectum suavissime disponens, invitans et attrahens" [9].

Ioannes Duns Scotus hoc tractatu docet veram christianam philosophiam, sicut invenitur apud illustrissimum doctorem S. Augustinum, quia, cum sit omnis veritatis creato ingenio perspectibilis origo ipse summus Deus, ei persuasum est, nullam partem verae cognitionis proinde esse comparandam, atque oratione et mentis elevatione ad ipsum Primum Principium, a quo „omne datum optimum et omne donum perfectum descendit" (Iac 1, 17).

---

[9] Waddingus L. OFM, Praefatio ad Lectorem, in: Ioannis Duns Scoti De Primo rerum omnium Principio (ed. Vivès IV 719—720). Ille tractatus de Primo Principio Metaphysica est vere christiana, ut dicit Longpré Ephrem OFM, La Philosophie du B. Duns Scot (Paris 1924) 19: „. . . lorsqu'on a jeté les yeux, une seule fois, sur la démonstration géniale que le B. Duns Scot a faite de l'existence de Dieu dans ce traité [scl. De Primo Principio] et dont l'élan, la puissance métaphysique, les flammes d'amour qui l'éclairent, font un chef d'oeuvre comparable aux meilleures pages de S. Bonaventure, de S. Thomas d'Aquin ou de Fénelon sur le problème de Dieu". Iterum dicit Longpré, loco cit. 17—18: „C'est bien cet opuscule — l'un des premiers écrits du maître — d'une architecture mathématique et aux envolées mystiques sublimes . . . Ce traité est une belle contemplation de Dieu et de ses infinies perfections dans le genre des oraisons et des méditations de S. Anselme . . . Ce traité n'a pu être composé que sous l'impression d'une grâce d'oraison très élevée". Quoad architecturam mathematicam huius tractatus de Primo Principio cfr. Hahn Seb., Thomas Bradwardinus und seine Lehre von der menschlichen Willensfreiheit, in: Beiträge z. Gesch. d. Philos. u. Theol. des MA (Münster 1905) tom. V fasc. 2, pag. 13 et nota 4: „Doch hat unser Gelehrter [Thomas Bradw.] seine Methode sicher nicht als ein Erbstück aus früherer Zeit herübergenommen. Neben größter Sympathie für die Mathematik war wohl Duns Skotus unmittelbar bestimmend für ihn. Die Werke des Duns Skotus: De Primo Principio, . . . zeigen eine Darstellungsform, die an die Demonstratio geometrica eines Descartes und Spinoza erinnern".



## III. De scriptionis ordine atque compositionis tempore huius tractatus.

Oritur iam quaestio anceps, quo operum loco Ioannis Duns Scoti iste ‚Tractatus de Primo Principio' sit inserendus et quo tempore circiter sit compositus.

Quibus annis singula opera Doctoris Subtilis sint scripta, ex datis usque adhuc notis accurate non est indagandum, excepto compositionis tempore ‚Operis Oxoniensis'; de ordine autem relativo nonnulla sunt definienda:

Primo est dicendum, constare de huius tractatus quaestionem nunc moventis successione post ‚Tractatum de Anima', quia in illo de Primo Principio alterius de Anima mentio fit ut infra apparet (cfr. pag. 88 cum nota 80, et fortasse etiam pag. 97 cum nota 89).

Secundo constat ‚Tractatum de Primo Principio' antecedere illo ‚Theoremata' inscripto, sicut patet ex cap. 4 concl. 10 (vide infra, pag. 129—130).

Tertio constat ‚Tractatum de Primo Principio' ante ‚Quaestiones in Metaphysicam' esse scriptum, quia Doctor Subtilis in Quaestionibus in Metaphysicam lib. 9 q. 4 n. 5 (ed. Vivès VII 546a) his verbis utitur: „. . . patet conclusione 9. cap. 2. in tractatu de Primo Principio".

His statutis iam est concludendum ‚Tractatum de Primo Principio' inter prima opera Ioannis Duns Scoti esse numerandum. Quibus annis circiter sit compositus, colligi potest ex comparatione huius tractatus cum diversis commentariis in libros sententiarum, de quorum tempore compositionis sunt finienda, quae sequuntur:

Certum est, Duns Scotum ab anno 1299—1302 in Britannia commoratum et primo Cantabrigiae 1. librum sententiarum commentatum esse; deinde docuit Oxoniae circa 1. et 2. librum sententiarum, quae lectiones sub titulo ‚Lectura prima' vel ‚Opus Oxoniense' (distinguendum ab Opere Oxoniensi posteriori ‚Ordinatio' nominato) nobis sunt traditae. Anno 1302—1303 Duns Scotus docuit Parisiis, quo tempore ‚Reportata Parisiensia' [10] et ‚Additiones magnae' sunt composita. Quibus ‚Additionibus magnis' Ioannes Duns Scotus

---

[10] Cfr. Pelster F. SJ, Handschriftliches zu Skotus mit neuen Angaben über sein Leben, in: FS 10 (1923) 9. Vide etiam Balić K. OFM, Die Frage der Authentizität und Ausgabe der Werke des Joh. Duns Skotus in Vergangenheit und Gegenwart, in: WissWeish 2 (1935) 144—145: „In der Hs. F. 69 der Worcester Kathedralsbibliothek in England sind die Reportata Parisiensia des Duns

postea usus est in retractando ‚Lecturam primam' Oxoniensem; sic facta est ‚Ordinatio', quae est ultima forma ‚Operis Oxoniensis'. Ergo ‚Opus Oxoniense' qua tale saltem anno 1303 vel posteriori tempore perfectum est. Die 24 Iunii anni 1303 fidelitatis pietatisque Papae Bonifacii VIII causa Duns Scotus Parisiis exire coactus est et rediit Oxoniam, ubi a mense Iunio anni 1303 usque ad mensem Novembrem anni 1304 tertium saltem librum sententiarum commentatus est [11]; die 8. Novembris anni 1308 obiit Coloniae.

Quod relationem ‚Tractatus de Primo Principio' ad ‚Opus Oxoniense' attinet, dicendum est, tractatum istum ante 1. librum ‚Ordinationis' esse scriptum, quia ibi fit citatio huius tractatus [12]. Secundum editionem Waddingi in Additione ad

Skotus enthalten. Der Abschreiber hat das erste und zweite Buch abgeschrieben und das dritte bis zur 17. Distinktion, und alsdann gibt er den Index der Materie für alle vier Bücher. Am Schluß des Index vom ersten Buch hat P. Pelster, auf dem von Kard. Ehrle gebahnten Wege gehend, eine wichtige Note entdeckt: ‚Expliciunt questiones super primum sententiarum date a fratre I. Dons scoto ordinis fratrum minorum Parisius anno Domini millesimo trecentesimo secundo intrante tertio'. Ebendaselbst lesen wir die Anmerkung: ‚Expliciunt questiones sententiarum date a fratre Iohanne Duns antedicto (?) in studio parisiensi anno Domini M$^{0}$CCC$^{0}$III$^{0}$'".

[11] Cfr. Müller Mar. OFM, Stand der Skotus-Forschung 1933 loco cit. 67—70.

[12] Difficillima est quaestio haec, utrum ille ‚Tractatus de Primo Principio' sit ante vel post ‚Opus Oxoniense' exortus. De hoc dubium inde potest exoriri, quod Scotus vicissim citat ‚Questiones in Metaphysicam' – quae, ut iam dictum, sunt post ‚Tractatum de Primo Principio' scriptae — in ‚Opere Oxoniensi' [v. gr. Ox. 4 d. 11 q. 3 n. 41 (ed. Vivès XVII 423 b) legitur: „. . . nisi quod, sicut dictum est in Quaestionibus 9 Metaph., ad ultimam formam non esset proprie mutatio": cfr. Quaest. in Metaph. lib. 9 q. 14 n. 9 (ed. Vivès VII 588), ubi tractat Scotus hac de re], et ‚Opus Oxoniense' citat Doctor Subtilis in istis ‚Quaest. in Metaphysicam' [e. gr.: Quaest. in Metaph. lib. 5 q. 7 n. 15 (ed. Vivès VII 243 b) citat Scotus distinctionem 13 libri secundi Sententiarum Operis Oxoniensis]. At, secundum Mauritium de Portu, ut refert Waddingus, saepe occurrit Scotum citare in aliis operibus, quod communiter in talibus libris vel librorum distinctionibus sive capitulis, non a seipso, sed ab aliis auctoribus tractatur; idque ex ipso modo citationis colligi potest — his enim tunc utitur verbis: Dicitur, tractatur, ponitur, et non: seipsum dixisse, tractasse, posuisse aut exposuisse refert. Atque ita in loco citato (Quaest. in Metaph. lib. 5 q. 7 n. 15) ait, scilicet: „quia distinctione 13 secundi ponitur, lumen esse speciem lucis". Et sic concludit Waddingus: „Itaque ante Commentarios Oxonienses quaestiones has [scl. in Metaphysicam] eum [scl. Scotum] scripsisse opinor" (Waddingus L. OFM, Censura, in: Ioannis Duns



Op. Ox. 1 d. 3 q. 7 (IX 340 b) sic legitur: „Concedi potest igitur haec conclusio, quod prius essentialiter non tantum convenit esse ut effectus sit, sed etiam posterius; patet in Tractatu de Primo Principio". Qui textus etiam invenitur in codicibus magni momenti, e. gr. in cod. 1968 bibliothecae civitatis Gedaniensis (Danzig) [13], de quo iudicat C. Balić [14], quod „est summi momenti critici atque illustrem cod. 137 Assisiensem adaequans". Item legitur idem textus in cod. pap. 7 bibliothecae Archivi Cathedralis Aschaffenburgensis (Stiftsarchiv-Bibl.), qui etiam est aestimabilis fidelita-

Scoti Quaest. in Metaph., ed. Vivès VII 1). Ideo, quia ‚Tractatus de Primo Principio' ante ‚Quaest. in Metaph.' est scriptus, secundum Waddingi persuasionem et ante ‚Opus Oxoniense' est ortus. — Econtra Longpré E. OFM, in sua relatione Coloniae die 27. Martii 1933 facta, dicebat de illo ‚Tractatu de Primo Principio': „Il est difficile, de términer la date précise de sa composition; il est probablement postérieur du premier livre de l'Opus Oxoniense, qu'il paraît bien mentionner" [cfr. Müller Mar. OFM, Stand der Skotus-Forschung 1933 (nach E. Longpré), in: WissWeish 1 (1934) 67].

[13] Illa Additio (Vivès IX 339 b—340 b) legitur v. gr. in codice Gedaniensi (Danzig) 1968 fol. 47vb (Codex Gedan. ⟨Bibl. Civitatis⟩ 1968 est membran.; 199 Folia; saec. XV; rubricatus; continet Ioannis Duns Scoti super 1 et 2 librum Sententiarum; olim in bibliotheca Conventus fratrum minorum Gedaniensis). Illa praesertim nota: „patet in tractatu de Primo Principio capitulo primo" legitur ibi infra columnam. Ipsa Additio in codice Gedaniensi sic est disposita: Fol. 47va versu 35a: „et expressius praeallegata" *(cfr. Vivès IX 338a versu 8$^{0}$)*. Fol. 47va versu 35b—43a: „Quando formae habent . . . specie coloris" *(cfr. Vivès 339b versu 43$^{0}$—340a versu 18$^{0}$) del. in cod. Gedan. cum annotatione in margine:* „Nota, quod ista additio hic posita ab a usque b [*ista* a *et* b *sunt signa omissionis in margine*] per negligentiam est hic scripta, non in exemplari; sed debet esse in sequenti folio ad tale signum: offo". *Ista additio ergo erat contenta* „in exemplari", *etsi alio in loco. Est ergo additio antiqua, quod est summi momenti.* Fol. 47 va versu 43b – fol. 47vb versu 15a: „Aliter dicitur quandocumque . . . vel causae necessario causanti" *(cfr. Vivès IX 340a versu 19$^{0}$ — 340b versu 35$^{0}$)*. Fol. 47vb versu 15b – fol. 48ra versu 4a: „Pro opinione arguitur per rationes sic . . . quinque genera causarum" *(cfr. Vivès IX 338a versu 9$^{0}$ — 339b versu 28$^{0}$)*. Fol. 48ra versu 4b—17$^{0}$: „Specialiter etiam . . . specie coloris" *(cfr. Vivès IX 339b versu 29$^{0}$ — 340a versu 18$^{0}$)*. Fol. 48ra versu 18$^{0}$: „Alia est opinio" *(cfr. Vivès IX 345a versu 32$^{0}$)*. Fol. 47vb versu 13$^{0}$ *infra columnam cum signo omissionis post* „. . . haec conclusio" *additur:* „quia prius naturaliter non tantum convenit causae; patet in tractatu de Primo Principio capitulo primo" *(cfr. Vivès IX 340b:* „. . . haec conclusio, quod prius . . . de Primo Principio").

[14] Scripsit haec in epistula diei 22. Martii 1939.

tis, ut sequitur: „Concedi potest haec conclusio, quia esse prius essentialiter non tantum convenit causae, ut patet in Tractatu de Primo Principio capitulo primo" (fol. 109va)[15]. Quae quidem nota habetur in Additione, quae tamen est additio antiqua iam in textu exemplari lecta (cfr. pag. XV, notam 13). — Qualem rationem habet ‚Tractatus de Primo Principio' ad 1. librum ‚Operis Oxoniensis', intelligi potest etiam ex locis utriusque textus ad verbum fere congruentibus. Comparatio talium locorum ‚Operis Oxoniensis' secundum cod. 137 Assisiensem et cod. 1968 Gedaniensem cum textu critico ‚Tractatus de Primo Principio' ostendit, textum ‚Operis Oxoniensis' respectu textus ‚Tractatus de Primo Principio' addere saepe aliqua verba sensum explicantia, quorum aliqua exempla hic notentur, in quibus verba inter parentheses [ ] supersunt in textu ‚Operis Oxoniensis': „... unde possit illud [causabile] causare"; vel: „... cognitio cuiuscumque [alterius] non est"; vel: „... quia nec [ageret] propter finem"; vel: „si aliqua est accidens, et quaelibet; [sed] aliqua non potest esse accidens in Primo, ex praecedente [conclusione, quia non intellectio sui ipsius]; ergo nulla [est sibi per accidens]". Textus, qui habetur in ‚Tractatu de Primo Principio' brevior et difficilior, talibus additamentis intelligibilior est in Opere Oxoniensi. Quibus cognitis secundum principium criticum de ‚lectione difficiliori' certe iudicari potest, textum, qui legitur in ‚Tractatu de Primo Principio', esse priorem textu Operis Oxoniensis, quia in redactione alicuius textus nemo talia verba clarae intelligentiae maxime utilia elideret et deleret, verumtamen quivis redactor inintelligibiliora paucis verbis facile explicaret. His statutis terminus ante quem ‚Tractatus de Primo Principio' est scriptus finitur annus 1303/4, quo tempore perfecta est ‚Ordinatio', ante quam ‚Tractatum de Primo Principio' compositum esse oportet.

Sicut iam diximus, Doctor Subtilis effinxit et excudit ‚Lectura prima' ultimam illam redactionem, i. e. ‚Ordinationem', in qua habentur aliqui textus cum ‚Tractatu de Primo Principio' convenientes (Operis Ox. Ordinationis lib. 1 d. 2 q. 2 nn. 23—24). Quem locum requisivimus in textu ‚Lecturae primae' secundum cod. 1449 bibliothecae nationalis Vindobonensis, ubi totius textus Ordinationis supra citati vicem

[15] Dispositio textus huius Additionis est in codice Aschaffenburgensi (Stiftsbibliothek cod. pag. 7) sicut in editione Waddingi.



implet locus multo brevior (scl. fol. 9va versus 32 b—46a)[16], in quo nulla relatio ad textum ‚Tractatus de Primo Principio', sicut invenitur in Ordinatione, est indaganda. Generatim atque universe cod. 1449 praebet textum, qui comparatus cum illo Ordinationis speciem cuiuscumque lecturae primae prae se ferens et gravia argumenta praetermittens multo est inanior, cum Ordinatio uberius atque fusius disserat. Eadem ostenditur comparatione ‚Tractatus de Primo Principii' cum ‚Lectura prima'. Locus supra cum Ordinatione collatus ponit copiosam tractationem, i. e. totam conclusionem 7. capituli 4. (cfr. infra, pag. 84—87); huius conclusionis atque alterius amplioris textus (scl. Sent. 1 d. 2 q. 2 nn. 23—24: ed. Vivès VIII 455a—460 b) vicem gerit in ‚Lectura prima' locus citatus (cfr. hac pag. XVII, notam 16). Si textus amplior et accuratior ‚Tractatus de Primo Principio' esset prior quam ‚Lectura prima', certe Doctor Subtilis eo usus esset in ea. Itaque concludi potest ‚Tractatum de Primo Principio' esse scriptum post ‚Lecturam primam', quae annis 1299—1302 exorta est. Sic ergo finitus est terminus post quem ‚Tractatus de Primo Principio' est compositus[17].

Perscriptio huius Tractatus incidit ergo in annos 1299—1303/4.

[16] Textui Operis Oxoniensis Sent. 1 d. 2 q. 2 nn. 23—24 (ed. Vivès VIII 455a—460 b) correspondet in codice 1449 textus folii 9va versu 32b—46a, ut sequitur: „Deus est sua intellectio [*in marg.*]. Item, antequam ostendatur aliquod ens infinitum esse, probatur quod Deus sit sua intellectio. Si sua intellectio sit accidens et non natura eius, igitur, cum primum ens sit causa efficiens omnium, erit causa suae intellectionis. Sed Deus est causa per suam cognitionem; igitur prius cognovit eam; et de illa cognitione quaeritur sicut prius; aut erit processus in infinitum, quod aliquid intelligat, et sic nunquam aliquid intelligeret. Ex his deduco ad propositum et dico: primum efficiens est eminens, est infinitum; et ostendit[ur] primo ex parte efficientiae per rationem Philosophi 9 Physicorum, ubi sic arguit, quod primum movens movet tempore infinito; sequitur ipsam esse infinitum secundum virtutem. — Sed dices contra hanc rationem, quod antecedens secundum veritatem falsum est, quia non erit motus in infinitum. Item continua nulla videtur esse, quia corpus finitae virtutis secundum intentionem Philosophi movebit tempore infinito et secundum veritatem movere potest tempore infinito".

[17] Cfr. pro tota hac quaestione etiam: Giganotto Ludovico OFM, Saggi di critica interna sull' autenticità redazionale integrale secondo l'edizione Waddingiana del trattato „De Primo Principio" del B. Giovanni Duns Scoto Dottore Sottile. In 8° (44 pp.) Genova 1926.

## IV. Traditio textus litteris custodita[18]

(Codicum descriptio).

Pro adornatione huius criticae editionis primae operis aurei Ioannis Duns Scoti omnes codices usque nunc noti, qui hunc Tractatum de Primo Principio tradunt, sunt adhibiti. Sequitur hic

ELENCHUS CODICUM iuxta ordinem alphabeticum bibliothecarum confectus. Inter parentheses indicatur littera quadam siglum uniuscuiusque codicis, et numero quodam arabico locus, ubi in sequenti descriptione invenitur. Omnium codicum hic enumeratorum tantum reproductiones photographicas possidemus.

| | |
|---|---|
| Avenionis (Avignon), bibl. du Musée Calvet, cod. 328 | (A, 14) |
| Berolini (Berlin), bibl. publica (Staatsbibl.), cod. lat. Fol. 687 | (B, 8) |
| Cantabrigiae (Cambridge), bibl. univers., cod. Ff. III 23 | (C, 6) |
| Civitas Vaticana (Vatikan-Stadt), bibl. Apost. Vatic., lat. 869 | ($V_1$, 12) |
| Civitas Vaticana (Vatikan-Stadt), bibl. Apost. Vatic., cod. lat. 3052 | ($V_2$, 13) |
| Dertusae (Tortosa), bibl. capituli Eccl. Cathedr., cod. 96 | (T, 11) |
| Matriti (Madrid), bibl. Palaçio Naçional, cod. 411 | (Ma, 1) |
| Monachii (München), bibl. publica (Staatsbibl.), cod. clm. 15 829 | (Mü 9) |
| Oxonii (Oxford), bibl. Collegii Novi, cod. 235 | ($O_1$, 3) |
| „ „ bibl. Collegii Balliolensis, cod. 209 | ($O_2$, 4) |
| „ „ bibl. Collegii Mertonensis, cod. 65 | ($O_3$, 5) |
| „ „ bibl. Collegii Mertonensis, cod. 90 | ($O_4$, 7) |
| Pragae (Prag), bibl. Capituli Eccl. Cathedr., cod. 1439 | (P, 10) |
| Rottenburgi (Rottenburg), bibl. Seminarii Episcop., cod. H. 13 | (R, 15) |
| Vindobonae (Wien), bibl. nationalis, cod. 1405 | (W, 2) |

Ex variis lectionibus singulorum codicum collatis affinitas inter nonnullos inveniri potest, quapropter inter quindecim

[18] **In descriptione codicum et textus praeter ,Tractatum de Primo Principio', quantum fieri potest, etiam ceterorum operum Ioannis Duns Scoti, quae in singulis codicibus continentur, rationem ducimus.**



codices supra nominatos tres familiae diversae sunt finiendae, secundum quas

CODICUM DESCRIPTIO est disposita.

### A. CODICES $MaWO_1O_2O_3CO_4B$

#### 1. Codex Ma; Matriti, bibl. Palaçio Naçional, cod. 411.

Codex membran.; Foliatio moderna in angulo dextro superiore numeris arabicis; Goticis Minusculis, sed titulus (fol. 1r) Goticis Maiusculis, binis columnis, 51 lineis (fol. 1rb) exaratus; saec. XIV; leviter rubricatus.

Fol. 1ra—12rb: Ioannis Duns Scoti ,Tractatus de Primo Principio'. Titulus: „Incipit tractatus de Primo Principio Magistri Ioannis Scoti". Inc.: „Incipit primus tractatus de Primo Principio. Capitulum primum: de 4 divisionibus . . . Primum rerum Principium mihi ea credere . . .". Expl. (in angulo dextro inferiore infra columnam): „ . . qui es benedictus in saecula. Amen. Explicit tractatus de Primo Principio . . ." (reliqua legi non possunt).

Hoc in codice multae abbreviationes resolutioni difficiles a secunda manu in textu deletae et in margine dilucidiores factae sunt, sicuti etiam nonnulli errores vel crediti vel veri a secunda manu in margine sunt emendati, quibus emendationibus nonnunquam textus in deterius mutatus est. **Ma** saepius habet numerationem conclusionum duplicem, unam originalem in textu et alteram a secunda manu in margine vel etiam in textu, et quamvis haec altera non semper sit vera, numeratio originalis et vera in textu perperam est deleta, sicut invenitur e. gr. infra, pag. 30 versu 8° in apparatu critico; cfr. etiam infra, pag. 26—27, nota 29.

Codex **Ma** minores lectionis varietates parvi momenti habet communes in primis cum $\mathbf{O_1}$, sed et cum testibus $\mathbf{WO_2O_3CO_4B}$, praeterea nonnullos errores scriptionis aut lectionis independentes, et ultra ea etiam varias lectiones illi soli proprias magni momenti. Tamen hunc codicem **Ma** neque unum ex iis, quos modo nominavimus, transscripsisse neque cum ullo alio communem originem habuisse iuste est concludendum.

Omnium ceterorum codicum **Ma** habet textum optimum. Nullus alius tali modo stilum artum et singularem Duns Scoti prae se fert, secundum quem e. gr. in verborum compositione persaepius verbum temporale praetermittitur, ubi pro clariore distinctioreque intelligentia esset repetendum, vel auctor contextu intelligentiam confirmante fretus adiectivo

tantum sine substantivo conveniente utitur (v. gr. „talis" pro „talis causa"); at, aliis codicibus praesertim Britannicis his in locis semper fere explicationes textui inserentibus, inter omnes maxime **Ma** stilum artum Doctoris Subtilis servat. Quamquam, pluribus codicibus etiam magni momenti critici inter se dissentientibus, **Ma** prorsus lectionem saniorem habet — e. gr. iuste legitur in **Ma** (una cum $\mathbf{O_1O_2O_3}$) „secundam" pro „tertiam" (cfr. infra, pag. 53 versu 12⁰); „illae quinque probationes" (cfr. ibidem) enim tantum in conclusione s e c u n d a inveniuntur (cfr. infra, pag. 41—43), non vero in conclusione tertia (cfr. infra, pag. 44—45); vel in **Ma** (una cum $\mathbf{O_2CO_4V_1}$) iuste legitur „forma" pro „potentia" (cfr. infra, pag. 119 versu 3⁰) — tamen **Ma** in investigando formam textus originalem simpliciter non discrimen facit (cfr. v. gr. infra, pag. 72, notam 70).

Origine codicis **Ma** cum ullo alio communi secluso — sicut iam dictum est — **Ma** et $\mathbf{WO_1O_2O_3CO_4B}$ hinc atque illinc tanta propinquitate et affinitate sunt coniuncti (sicut apparet in apparatu critico), ut eos omnes unam eandemque familiam repraesentare iure iudicare possimus, salva discrepantia nominatorum codicum inter se et in comparatione cum **Ma** quoad lectionis varietates haud spernendas.

Codex **Ma** habet Additiones 1—10 (cfr. pag. 137—166, notas 125, 136—144). Additio 5 (pag. 159—161), quae in editione Waddingiana non invenitur, tantum in codice **Ma** (una cum $\mathbf{O_1}$ et **T**) habetur.

### 2. Codex W; Vindobonae, bibl. nationalis, cod. 1405.

Codex membran.; mensura codicis 355×245 et singulae columnae 265×80 mm; duplex foliatio moderna numeris arabicis: in medio folii supra columnas modo vetustiore, et in angulo dextro superiore modo recentiore; Goticis Minusculis, binis columnis, 64 lineis (fol. 94rb) exaratus; saec. XIV; leviter rubricatus.

Fol. 1r—93r: Ioannis Duns Scoti in lib. I Sententiarum. — Fol. 93va—98va: Ioannis Duns Scoti tractatus de Primo Principio. I n c.: „Primum rerum Principium me ea credere...". E x p l.: (haec pagina humiditate corrupta, legi non potest). — Fol. 98va—b: Tabula conclusionum (cfr. infra, pag. 167—170). — In folio thecae anteriore agglutinato fragmenta hebraica.

Qui codex **W** habet in margine a secunda manu et adnotationes et emendationes multas atque summi momenti.



Sic solum e. gr. in pagina 95va corrigendo iuste mutatur „aliquid realiter" in „ad reliquum"; „dicit" in „sit"; „similiter" in „sequitur"; „bonitatem" in „perfectionem"; „tres praecedentes" in „tres primitates"; „quae natura" in „quae negatur". Talibus emendationibus textus totus valore maxime est auctus. — Numeratio capitulorum cum titulis, quae — excepto capitulo secundo — a prima manu omissa sunt, atque conclusionum, a secunda manu in margine est addita.

Generatim **W** ita sequitur $\mathbf{MaO_1O_2O_3CO_4B}$, ne tamen latissima convenientia cum uno vel altero codice huius familiae sit indaganda. **W** habet lectionis varietates minoris momenti communes praesertim cum $\mathbf{MaO_1O_2O_3CO_4B}$, tamen raro etiam cum uno alterove codice utriusque aliae familiae; praeterea nonnullos errores lectionis seu scriptionis independentes, necnon, si rem omnem spectas, multas lectiones varias magni momenti illi soli proprias. In adornando textu huius ‚Tractatus de Primo Principio' **W** una cum **Ma** est magna auctoritate critica.

In **W** a secunda quidem manu invenitur infra columnam (fol. 97ra) Additio 6 tantum (cfr. pag. 162, notam 140).

### 3. Codex O₁; Oxonii, bibl. Collegii Novi, cod. 235.

Codex partim membranaceus et partim chartaceus; mensura codicis 110×80, columnae 83×55 mm; sine foliatione; Goticis Minusculis, columna unica, 34 lineis (fol. 4v) exaratus; saec. XV; sine notis marginalibus; 16 et 166 folia; olim Henrici Sevyar, postea Guillelmi Holden, Collegii Novi baccalaurei.

Fol. 4r—16v: Ioannis Duns Scoti tractatus de Primo Principio. I n c.: „Incipit Doctor Subtilis de Primo Principio. [P]rimum rerum Principium mihi ea credere . . .". E x p l.: „ . . . tunc enim sunt eiusdem rationis" (Codex medium textum hic abrumpit et manet fragmentum; cfr. pag. 102, notam 92). — Deinde: Ioannis Canonici Ordinis Minorum super Aristotelis etc.

Qui codex $\mathbf{O_1}$ neque capitulorum titulos (sicut et $\mathbf{O_2O_3CO_4}$) neque eorum et conclusionum numerationem afferens et ceteroquin textum satis accuratum praebens, lectionis varietates minoris momenti praesertim cum **Ma**, angustiore modo etiam cum ceteris testibus suae familiae $\mathbf{MaWO_2O_3CO_4B}$ communes, praeterea nonnullas lectiones varias independentes parvi momenti habet. Inter codices Britannicos $\mathbf{O_1}$ maxime est in se positus et solus notat paucas mutationes, additiones et

omissiones, quae tamen sunt sine eximio pondere. Neque est secundum unum ceterorum codicum transscriptum neque est una cum ullo alio secundum idem exemplum confectum, est autem secundum dictationem scriptus, sicut probant errores auditorii multi quidem sed respectu formae textus non satis digni dictu.

$\mathbf{O_1}$ propter suam formam propriam familiae $\mathbf{MaWO_2O_3CO_4B}$ est addicendus, speciali autem propinquitate est coniunctus cum **Ma** et etiam cum $\mathbf{O_2O_3}$, cfr. e. gr. fictionem vocum singularem „tibiipsi", duabus codicibus $\mathbf{O_1}$ et $\mathbf{O_2}$ communem — $\mathbf{O_3}$ iam antea (fol. 118v; vide infra, pag. 64, notam 62) est abruptus — et vix vel omnino non exemplis probandam (vide infra, pag. 67 versu 18⁰ in apparatu critico).

Codex $\mathbf{O_1}$ habet Additionem 5 (una cum **Ma** et **T**), quae in editione Waddingiana est omissa, et 6 (cfr. pag. 159—162, notas 139—140).

### 4. Codex $\mathbf{O_2}$; Oxonii, bibl. Collegii Balliolensis, cod. 209.

Codex membran.; mensura codicis 170×120, columnae 123×60 mm; foliatio moderna numeris arabicis in angulo dextro superiore; Goticis Minusculis, columna unica, 52 lineis (fol. 100r) eleganter exaratus diligentissimeque elaboratus a Scriptore Ioanne Reynboldi de Monte ornato terrae Hassiae (cfr. fol. 113v); in principio cuiusvis capituli ‚Tractatus de Primo Principio' aliquae lineae (i. e. in primo capitulo quatuor, in reliquis capitulis binae) litteris maioribus sunt distinctae ac decore floribusque ornatae, sicut et in codicibus $\mathbf{O_3CO_4}$; saec. XV, scilicet de anno 1463 (cfr. fol. 113v); sine notis marginalibus; 173 folia; ex dono Will. Gray.

Codex continet: Ioannis Duns Scoti Quaestiones quodlibetales. — Deinde fol. 99r—113v: Ioannis Duns Scoti ‚Tractatus de Primo Principio'. I n c : „Primum rerum Principium mihi ea credere . . ." E x p l.: „ . . . qui est benedictus in saecula. Amen. Explicit Opus Doctoris Subtilis, intitulatum Duns, de Primo Principio, scriptum et completum per me Ioannem Reynboldi Almanicum de Monte ornato terrae Hassiae. Anno Domini millesimo CCCC$^{mo}$ sexagesimo tertio mensis die quinto decimo. Deo laus in saecula saeculorum. Amen". — Fol. 114: Ioannis Duns Scoti Collatio Parisiensis.

Tituli capitulorum hoc in codice sicut et in $\mathbf{O_1O_3CO_4}$ desunt, numeratio autem capitulorum conclusionumque invenitur in margine. Loco divisionis totius tractatus usitatae in quatuor capitula, hoc in codice $\mathbf{O_2}$ ea pars, quae communiter est



capitulum quartum, dividitur ita in quatuor partes distinctas, ut in opere universo septem enumerantur capitula. Capitulum primum, secundum, tertium et quartum ergo incipiunt ibidem sicut et in ceteris codicibus, capitulum quintum incipit fol. 109r (cfr. pag. 89 versu 9⁰): „O altitudo divitiarum" et finitur fol. 112v (cfr. pag. 125 versu 15⁰): „. . . afferat meliores"; capitulum sextum incipit fol. 112v (cfr. pag. 126 versu 1⁰): „Domine deus noster" et finitur fol. 113r (cfr. pag. 129 versu 10⁰): „. . . vocabulum immorari"; capitulum septimum incipit fol. 113r (cfr. pag. 129 versu 11⁰): „Praeter praedicta" et finitur fol. 113v ut capitulum communiter quartum (cfr. pag. 134 versu 6⁰).

Codex $\mathbf{O_2}$ in universum consideratus habet textum satis accuratum, tametsi nonnullae transpositiones arbitrariae, commutationes, suppletiones, omissiones inveniuntur. Secundum formam generalem textus $\mathbf{O_2}$ turmae codicum $\mathbf{MaWO_1O_3CO_4B}$ est attribuendus. Quoad varietates codex $\mathbf{O_2}$ et codex $\mathbf{O_3}$ penitus consentiunt, atque etiam eosdem scriptionis errores habent communes — v. gr. legitur in ambobus „ad entia [pro „alia"] manifesta enti" (vide infra, pag. 51 versu 2⁰, in apparatu critico) —; sunt enim ab eodem scriptore Ioanne Reynboldi confecti. Tamen neuter ab alio amborum est descriptus, neque $\mathbf{O_3}$ ab $\mathbf{O_2}$, quia $\mathbf{O_2}$ septimo anno post $\mathbf{O_3}$ est scriptus, neque $\mathbf{O_2}$ ab $\mathbf{O_3}$, quia $\mathbf{O_3}$ est fragmentum et $\mathbf{O_2}$ habet textum integrum, immo potius est certe concludendum illum ipsum Ioannem Reynboldi transscribentem utrumque eodem exemplari usum esse.

Codex $\mathbf{O_2}$ habet Additiones 1—3 (vide infra, pag. 137—156, notas 125, 136—137).

### 5. Codex $\mathbf{O_3}$; Oxonii, bibl. Collegii Mertonensis, cod. 65.

Codex membran.; mensura codicis 143×113, columnae 111×58 mm; duplex foliatio moderna numeris arabicis in angulo dextro superiore; Goticis Minusculis, columna unica, 52 lineis (fol. 112r) nitide exaratus diligentissimeque elaboratus a scriptore Ioanne Reynboldi de Monte ornato terrae Hassiae; in fol. 111r decore floribusque perpulchre ornatus, et in principio cuiusvis capituli aliquae lineae litteris maioribus sunt distinctae atque etiam — sicut et $\mathbf{O_2CO_4}$ — ornatae; saec. XV,

---

[19] Cfr. Catalogum Codicum Mss qui in Collegiis aulisque Oxoniensibus hodie asservantur. Confecit Henricus O. Coxe, A. M. Oxonii 1852. (Catalogus codd. mss collegii Mertonensis pag. 39).

scilicet de anno 1456[19]; aliquae notae marginales a secunda manu sine momento critico; 154 folia.

Fol. 1 seqq.: Ioannis Duns Scoti diversa opera. — Fol. 111r—118v: „Ioannis Duns Scoti tractatus de Primo Principio", qui titulus est a secunda manu. Inc.: „Primum rerum Principium mihi ea credere . . .". Expl.: „quia tantum de simplicitate essentiali" (codex medium textum hic abrumpit et manet fragmentum: Cfr. infra, pag. 64 versu 12°). — Fol. 119 seqq.: Eiusdem Duns Scoti alia opera.

Codex $O_3$ titulos capitulorum — sicut et $O_1O_2CO_4$ — praetermittens, numerationem capitulorum et conclusionum in margine annotans, in universum consideratus textum accuratum praebens, proprietatibus suis cum $O_2$ prorsus conveniens, secundum formam textus generalem familiae $MaWO_1O_2CO_4B$ est addicendus. (De speciali condicione codicis $O_3$ respectu codicis $O_2$ vide supra, pag. XXIII).

Codex $O_3$ habet Additiones 1—4 (vide infra, pag. 137—158, notas 125, 136—138).

### 6. Codex C; Cantabrigiae, bibl. Universitatis, cod. Ff. III 23.

Codex membran.; mensura codicis 340×325 et singulae columnae 250×75 mm; foliatio moderna numeris arabicis in angulo dextro superiore; Goticis Minusculis, binis columnis, 53 lineis (fol. 2r) exaratus atque in fol. 1r decore floribusque, necnon in principio cuiusvis capituli — sicut et $O_2O_3O_4$ — perpulchre ornatus; saec. XV; aliquae notae marginales, partim a prima et partim a secunda manu, sed plurimae sine momento critico; 256 folia.

Fol. 1ra—12rb: Ioannis Duns Scoti ‚Tractatus de Primo Principio'. Inc.: „Primum rerum Principium mihi ea credere . . .". Expl.: „. . . per quem omnia, in quo omnia, qui es benedictus in saecula. Amen". (Sequitur Additio 9, ut infra, pag. 165; deinde:) „Explicit primus tractatus de Primo Principio Ioannis Scoti". — Fol. 12v—110: Eiusdem Duns Scoti Quodlibet.

Desunt hoc in codice C — sicut et in $O_1O_2O_3O_4$ — tituli capitulorum, similiter et omnino fere numeratio capitulorum et conclusionum. C habet autem textum fidelem, etiamsi nonnulli errores scriptionis, transpositiones arbitrariae sed levioris momenti, mutationes, suppletiones mirum in modum multae, paucae omissiones in textu inveniuntur, seclusis omnino fere erroribus auditoriis, secundum quod C verisimiliter



non est ex dictatione scriptus. Lectionis varietates minoris momenti codici C cum $MaWO_1O_2O_3O_4B$ sunt communes, est ergo C secundum formam textus generalem huic familiae addicendus, sed insigni propinquitate codici $O_4$ coniunctus, quia omnes fere varietates propriae huius codicis C cum iisdem codicis $O_4$ conveniunt. Sed certe codex C non est transscriptus secundum codicem $O_4$, quia C habet partes textus, quae in $O_4$ per homoioteleuton (vide infra, pag. 54 versu 1°—2°, in apparatu critico) vel ex aliis causis inexplicabilibus (vide infra, pag. 86, notam 78) sunt omissae (cfr. hic descriptionem codicis $O_4$).

Codex C habet Additiones 3—4, 6—9 (vide infra, pag. 156—158, 162—165, notas 137—138, 140—143).

### 7. Codex $O_4$; Oxonii, bibl. Collegii Mertonensis, cod. 90.

Codex membran.; mensura codicis 84×61, columnae 59×39 mm; foliatio moderna numeris arabicis in angulo dextro superiore; Goticis Minusculis, columna unica, 32 lineis (fol. 132r) exaratus atque in principio cuiusvis capituli — sicut et $O_2O_3C$ — aliquae lineae litteris maioribus sunt distinctae ac decore floribusque ornatae; saec. XV; notulae marginales perpaucae tantum et sine momento critico; 216 folia.

Codex continet usque ad fol. 130v: Ioannis Duns Scoti Quodlibet. — Fol. 131r—146v: Eiusdem ‚Tractatum de Primo Principio'. Inc.: „Doctor Subtilis de Primo Principio" (qui titulus est a secunda manu supra paginam scriptus). „Primum rerum Principium mihi ea credere . . .". Expl.: „. . . in quo omnia, per quem omnia, qui es benedictus in saecula. Amen". (Sequitur Additio 9, ut infra, pag. 165; deinde:) „Explicit primus tractatus Ioannis Scoti de Primo Principio". — Fol. 147r: Eiusdem Duns Scoti de cognitione Dei, et alia opera.

Qui codex tradit textum accuratum, differt autem a codice C in multis erroribus auditoriis, secundum quod verisimiliter est ex dictatione scriptus. Praeterea nonnullos errores scriptionis arbitrarios sed levioris momenti, transpositiones, mutationes, suppletiones, omissiones invenis in textu. Lectionis varietates minoris momenti codici $O_4$ cum $MaWO_1O_2O_3CB$ sunt communes, ex quo secundum formam textus generalem est huic familiae addicendus et ultra hoc insigni affinitate est codici C propinquus, sicut iam dictum est (vide supra). Tamen haec affinitas non est tantae propinquitatis, ut codicem $O_4$ immediate secundum codicem C scriptum esse

putare oporteret; utriusque autem textus exemplaria, si non fuerunt eadem, admodum sibi valde similia fuisse videntur. Alia proprietas huius codicis $O_4$ in eo consistit, quod scriptor semper scribit „qui" (q') sicut „quae" (q̅), etiam intra idem verbum (e. gr. „requaeritur" pro „requiritur"). Intra capitulum 4 invenitur maior omissio (vide infra, pag. 86, notam 78).

Codex $O_4$ habet Additiones 3—4, 7—9 (vide infra, pag. 155—158, 163—165, notas 137—138, 141—143).

**8. Codex B; Berolini, bibl. publica (Staatsbibl.), cod. lat. Fol. 687.**

Mensura codicis 313×216 mm; foliatio antiqua simulque foliatio discrepans moderna; Goticis Minusculis, binis columnis, 59 lineis (fol. 112ra, sec. foliationem modernam) exaratus; saec. XV; sine notis marginalibus; 364 folia; in coopertura anteriore: „Iste liber est Carthusiensium prope Erfordiam".

Codex continet varia opera ascetica et mystica medii aevi. — Fol. 101—109va: S. Bonaventurae Itinerarium mentis in Deum. — Fol. 111ra—112rb: „Tractatus [Ioannis Duns] Scoti de Primo Principio rerum abbreviatus". Inc.: „Primum rerum Principium mihi ea credere . . .". Sed nihil aliud totius ‚Tractatus de Primo Principio' hoc in codice continetur, nisi capitulum primum integrum et nonnullae partes breves capituli secundi, tertii et quarti, quae formam elevationis mentis in Deum prae se ferunt; quae partes penitus sunt annotatae infra: pag. 10, 36, 64, notis 10a, 36a, 61. Expl.: „. . . in quo omnia, per quem omnia, qui es benedictus in saecula [?]lorum. Amen. Explicit tractatus de Primo Principio rerum Scoti abbreviatus".

Codex B nonnullos errores auditorios, multos errores scriptionis, transpositiones, suppletiones, omnium codicum plurimas mutationes arbitrarias et omissiones textus prae se fert, quae omnia sunt minoris momenti tantum. Quibus permultis atque parvis varietatibus B est singularis. Textus huius codicis est criticae levitatis hac iam una de causa, quod est intercisio tantum totius operis Doctoris Subtilis (vide supra). B non est specialiter propinquus alicui alii codici, maxime fortasse propinquior W. Secundum formam textus generalem codex B haud immerito est codicibus **$MaWO_1O_2O_3CO_4$** annumerandus.

Codex B nullam tradit Additionum, quae pag. 137—166 sunt annotatae.



## B. CODICES MüPTV$_1$V$_2$

**9. Codex Mü; Monachii, bibl. publica (Staatsbibl.), cod. clm. 15 829.**

Codex membran.; mensura codicis 280×200 et singulae columnae 210×70 mm; foliatio moderna numeris arabicis in angulo dextro superiore; initia capitulorum litteris maioribus sunt distincta ac decore ornata; saec. XV; Goticis Minusculis, binis columnis, 49 lineis (fol. 80rb) exaratus; notae marginales multae atque magno momento critico; 86 folia; hic codex clm (= codex latinus monacensis) olim bibliothecae Capituli Salisburgensis fuit insertus sub signatura 29; Napoleone Imperatore aliquamdiu asservatus est in bibliotheca nationali, sigillo rubro testante (fol. 86ra).

Fol. 1ra—5rb (subito abrumpitur hic): Ioannnis Duns Scoti Quaestiones quodlibetales. — Fol. 5va—77va: Eiusdem Quaestiones super metaphysica; sequitur Registrum. — Fol. 78ra—86ra: Ioannis Duns Scoti ‚Tractatus de Primo Principio'. Inc.: „Primum Principium rerum mihi ea credere . . .". Expl.: „. . . ex quo omnia, per quem omnia, qui es benedictus in saecula. AMEN. Explicit tractatus de Primo Principio rerum, editus a fratre Ioanne Scoto ordinis minorum".

Numeratio conclusionum e secunda manu in margine est notata. Plurimum scribitur in **Mü** „magis" pro „maius", quae scriptio „magis" aliquoties a secunda manu corrigendo mutatur in „maius". Codex **Mü** titulos capitulorum intra textum notans atque multis brevibus suppletionibus et nonnullis omissionibus insignitus, est textus penitus inaccuratus atque a secunda manu secundum textum fideliorem correctus. Quoad textum codex **Mü** similis est ceteris codicibus universae familiae, scilicet **$PTV_1V_2$**, maxime autem codici **P**. Codices **MüP** rursus omnibus partibus insigni sunt similitudine codicum **AR**, sicut in apparatu critico apparet, etiamsi haec similitudo pertinet ad res levioris momenti.

Codex **Mü** habet Additiones 9—10 (cfr. infra, pag. 165—166, notas 143—144).

**10. Codex P; Pragae, bibl. Capituli Ecclesiae Cathedralis, cod. 1439.**

Codex chartaceus; mensura codicis 220×160, columnae 190×120 mm; foliatio moderna typis arabicis in angulo dextro superiore; inscriptiones conclusionum litteris maioribus sunt

**[20] Cfr. Soupis Rukopisů, KNIHOVNY, METROPOLITNI PRAZSKE. Gestavil. Dr. Ant. Podlaha Druhá Cást: F-P. (V Prage 1922) 316.**

distinctae; Goticis Minusculis, columna unica, 45 lineis (fol. 67r) exaratus; annis 1447—1450 e fragmentis manuscriptorum saeculi XIV confectus[20]; 447 folia.

Fol. 66r—78r: Ioannis Duns Scoti ‚Tractatus de Primo Principio'. Inc.: „Primum rerum Principium mihi ea credere ...". Expl.: „... in quo omnia, per quem omnia, qui es benedictus in saecula. Amen. Explicit Principium rerum fratris Ioannis Scothi ordinis fratrum minorum, finitum f[eria] IIIIa post Kyliani anno Domini MCCCCL°". — Fol. 78v: Eiusdem Theoremata.

Codex **P** habet titulos capitulorum in textu et numerationem conclusionum in margine; inveniuntur in eo nonnullae omissiones et transpositiones independentes, et inter omnes codices plurimae explicationes, quae fere omnes constant adiectione paucorum verborum. Item exstant nonnullae notae marginales et interlineares a secunda manu, quae non solum sine momento critico, sed etiam sunt mendosissimae mutationes. **P** extensis partibus convenit praesertim cum **Mü** et est ceteroquin secundum formam textus generalem familiae **MüTV$_1$V$_2$** addicendus. Una cum **Mü** est **P** insigni similitudine codicum **AR**, sicut in apparatu critico apparet, etiamsi haec similitudo, sicut iam supra dictum est, pertinet ad res levioris momenti.

Codex **P** tradit initium tantum Additionis primae (cfr. infra, pag. 137 et 146, notas 127 et 134), item Additiones 9—10 (cfr. infra, pag. 137, 165—166, notas 125, 143—144).

**11. Codex T; Dertusae, bibl. Capituli Ecclesiae Cathedralis, cod. 96.**

Codex membran.; foliatio moderna numeris arabicis in angulo dextro superiore; Goticis Minusculis, binis columnis, 50 lineis (fol. 157vb) exaratus; saec. XIV; sine notis marginalibus.

Fol. 157ra—166vb: „Tractatus de Primo Principio Scoti" (qui titulus est scriptus a secunda manu supra columnas). Inc.: „Primum Principium mihi ea credere ...". Expl.: „... in quo omnia, per quem omnia, tu es qui es benedictus in saecula. Explicit tractatus de Principio rerum et fine". — Fol. 167 seqq.: Additiones ad Tractatum de Primo Principio'.

Deest hoc in codice numeratio conclusionum; secundum formam textus generalem **T** est familiae **MüPV$_1$V$_2$** addicendus. Tamen inveniuntur in **T** nonnulli errores auditorii illi soli proprii; secundum quos eum ex dictatione scriptum esse concludere licet. Item habet nonnullas transpositiones verborum independentes, omissiones suppletionesque minores necnon adiectiones maioris extensionis (cfr. infra, pag. 23, in apparatu critico ad versum 7, et pag. 58, notam 55).



Codex **T** habet Additiones 1—8 et 10 (cfr. infra, pag. 137—164, 166, notas 125, 136—142, 144). Additio 5 (pag. 159—161), quae in editione Waddingiana non invenitur, testatur tantum a **T** una cum **Ma** et **O$_1$**.

**12. Codex V$_1$; Civitas Vaticana, bibl. Apost. Vaticana, cod. lat. 869.**

Codex membran.; mensura codicis 250×195 mm; foliatio moderna numeris arabicis in angulo dextro superiore; Goticis Minusculis, binis columnis, 53 lineis (fol. 4rb) confectus; saec. XIV; plures quam 5 librarii codicem exaraverunt, primus (fol. 1ra—6va versu 8°) congruentior et in quadratam, secundus (fol. 6va versu 9° seqq.) acutior et in cursivam tendens scripsit; 245 folia.

Fol. 1ra—7vb: „Incipit tractatus reverendi Magistri fratris Ioannis Scoti, sacrae theologiae doctoris, de Primo Principio, et quaestiones subtiles, et alia pulchra" (qui titulus est a Rubricatore scriptus). Inc.: „Primum rerum Principium mihi ea credere ...". Expl.: „... in quo omnia, per quem omnia, qui es benedictus in saecula saeculorum. Explicit primus tractatus de Primo Principio". — Fol. 8ra—9va: adiciuntur manu alicuius librarii Additiones 1—2 (cfr. infra, pag. 137—154). Deinde multa et varia de theologia et philosophia, omnia fere anonyma (Nicolai de Lyra, Richardi de Mediavilla, Petri de Tarantasia, Duns Scoti ⟨?⟩)[21].

Codex **V$_1$** secundum formam textus generalem familiae **MüPTV$_2$** est addicendus. Tamen hic codex habet nonnullas proprietates, e. gr. scribit semper „respecto" pro „respectu"; mirum in modum multi sunt errores auditorii, nonnullae mutationes textus independentes, transpositiones verborum, suppletiones, omissiones, notulae, correctiones, auctoritates in margine hic illic inveniuntur.

Codex **V$_1$** habet Additiones 1—2, 7, 9—10 (cfr. infra, pag. 137—154, 163, 165—166, notas 125, 136, 141, 143—144).

**13. Codex V$_2$; Civitas Vaticana, bibl. Apost. Vaticana, cod. lat. 3052.**

Codicis mensura 153×115, columnae 111×90 mm; folia-

[21] Cfr. Bibl. Apost. Vat. codices Vaticani latini, rec. Aug. Pelzer (In Bibl. Vat. 1931) tom. II pars prior 242—254.

tio moderna numeris arabicis in angulo dextro superiore; Goticis Minusculis, columna unica, 32 lineis (fol. 36r) exaratus; saec. XV; notulae possessorum, in fol. 34v: „Iste tractatus est ad usum fratris . . ." (rasura); fol. 39v: „Iste liber est fratris . . ." (rasura); „Iste liber est ad usum fratris Francisci de Saona" [ille frater Franciscus = Franciscus de Ruvere (Francesco della Rovere) de Saona, Theologiae Magister ac ordinis Minorum Generalis Minister, anno 1414 urbe ‚Celle' prope Saonam natus, anno 1471 coronatus in Papam sub nomine Sixtus IV, anno 1484 Romae defunctus].

Codex continet usque ad fol. 34v: „Tractatus fratris Francisci de Primo Principio complexo". — Fol. 35r—39v: „Primum Principium Scoti" (qui titulus a Rubricatore est scriptus supra columnam). Inc.: „Primum rerum Principium ea credere . . .". Expl.: „. . . et sic nec a superiore producitur . . ." (mutil.); cfr. infra, pag. 35, nota 35.

Codex $V_2$ secundum formam textus generalem etiam familiae **MüPTV$_1$** est addicendus. Etiam hoc in codice mirum in modum multi errores auditorii inveniuntur sicut et in $V_1$, praeterea et multae independentes transpositiones, mutationes, suppletiones et omissiones minores. Capitulo 2° fere completo textus abrumpitur et manet fragmentum.

Codex $V_2$ habet Additiones 2—3 (cfr. infra, pag. 150—156, notas 136—137).

## C. CODICES AR.

### 14. Codex A; Avenionis, bibl. du Musée Calvet, cod. 328.

Codex partim membranaceus et partim chartaceus; mensura codicis 210×140 et singulae columnae 138×46 mm; foliatio moderna numeris arabicis supra columnas in medio; Goticis Minusculis, binis columnis, 32 lineis (fol. 3rb) exaratus; leviter rubricatus; saec. XV; 98 folia; olim „pro Communi Bibliotheca fratrum praedicatorum Avenionensi" (sic legitur fol. 1r a manu sec. infra columnas) sub signatura 328.

In folio titulari: „In isto volumine continentur libri qui sequuntur; Primo: Tractatus de Primo Principio Doctoris Subtilis; item: Quaestiones super secundum et tertium de Anima; item: Tractatus Samuelis Israelitae de fide et adventu Christi; item: Tractatus Francisci Maronis de signis naturae". — Fol. 1ra—31ra: Ioannis Duns Scoti ‚Tractatus de Primo Principio'. Inc.: „Primum rerum Principium mihi ea credere . . .". Expl.: „ . . . in quo omnia, per quem omnia, tu es benedictus in saecula. Amen. Explicit Primum Principium Magistri Ioannis Duns, natione Scoti, qui apud totum orbem nomen subtilis adimplevit. Cuius memoria et fama in benedictione manet". Deinde: „Incipit tabula conclusionum eiusdem tractatus" (cfr. infra, pag. 167—168, notam 146).

Codex A quoad textum penitus et accurate consentit cum R, nonnullis tamen independentibus transpositionibus, omissionibus, mutationibus, suppletionibus imponderatioribus non exclusis. Praeterea invenitur in A, dissentiente codice R, a manu secunda pro parte numeratio capitulorum et conclusionum in margine. Salva congruentia codicis A cum codice R, ambo insignem similitudinem codicum **MüP** prae se ferunt (cfr. apparatum criticum).

Codex A habet Additiones 9—10 (cfr. infra pag. 165—166, notas 143—146).

### 15. Codex R; Rottenburgi, bibl. Seminarii Episcopalis, cod. H. 13.

Codex chartaceus; mensura codicis 296×215 et singulae columnae 230×80 mm; sine foliatione; Goticis Minusculis, binis columnis, 61 lineis (fol. 8r) exaratus; leviter rubricatus; ligatura perpulchra saeculi XV; codex ortus est ex parte in Collegio Parisiensi ‚Saint-Gervais' et ex parte in Collegio ‚Harcourt'[22] saec. XV, scilicet pars continens ‚Tractatum de Primo Principio' anno 1461 (cfr. fol. 15vb) et altera pars anno 1462 (fol. 138r) est scriptus; 210 folia.

Fol. 8ra—15vb: „Primum Principium Scoti Doctoris Subtilis" (qui titulus supra columnas est scriptus). Inc.: „Primum rerum Principium mihi ea credere . . .". Expl.: „Ex quo omnia, per quem omnia, tu es benedictus in saecula saeculorum. Amen. Deo gratias. Explicit tractatus Primi Principii Doctoris Subtilis Ioannis dinis natione Scoti. Parisius [sic!] anno Domini MCCCC°LXI° ultima die Iulii. Ia[cobus] Ruest". Deinde: „Incipit tabula conclusionum eiusdem tractatus" (cfr. infra, pag. 167—170) — Fol. 20: Registrum quaestionum secundi Sententiarum Scoti Doctoris Parisiensis subtilissimi. — Fol. 21: Secundus Sententiarum Scoti. — Fol. 109r: Reportata seu additiones Parisienses Scoti in dist. 12ª secundi Sententiarum. (Ultra hoc nulla inveniuntur Scotistica hoc in codice).

Codex R penitus consentiens cum A et una cum A maxi-

[22] Cfr. Longpré E. OFM, Nouveaux Manuscrits des Réportations de Duns Scot, in: WissWeish 2 (1935) 230.

me congruens cum **MüP**, sicut supra notatum est, paucas emendationes textus a manu secunda prae se fert. Praeterea inveniuntur nonnullae independentes transpositiones, omissiones, mutationes, suppletiones, quae omnes sunt sine momento critico; deest autem numeratio capitulorum conclusionumque. Codex **R** una cum codice **A** respectu aliorum codicum textum maxime corruptum tradit.

Codex **R** notat Additiones 9—10 (cfr. infra, pag. 165—166, notas 143—144).

CONCLUSIO. Diversa de singulis codicibus dicta resumi possunt ut sequitur:

**1°. Quoad codices $MaWO_1O_2O_3CO_4B$.**

Omnium horum codicum fidelissimus atque maximi momenti est **Ma**, quamquam eum immediate secundum textum originalem Doctoris Subtilis scriptum esse non potest probari.

Codici **Ma** propinquissimus, aliqua immediata dependentia a **Ma** exclusa, secundum formam textus est $O_1$. Quod iudicium nonnullae proprietates utriusque textus notabiles asserunt: e. gr. inter omnes codices huius familiae tantum $MaO_1$ tradunt Additionem 5 (vide infra, pag. 159—161; cfr. notam 139), quod est eo maioris momenti, quod haec Additio neque ambabus aliis familiis neque editori Waddingo est nota, sed exceptis codicibus $MaO_1$ tantum habetur Additio 5 in codice **T**, qui eam ut additamentum in appendice notat; item non sunt neglegendae utriusque textus codicum $MaO_1$ proprietates singulares, sicut e. gr. sunt notatae in pagina 72 (cfr. notam 70). Quoad ceteras lectionis varietates tamen insignis affinitas inter **Ma** et $O_1$ non est indaganda.

Insignitis adiectionibus, omnibus codicibus Britannicis communibus, codices $O_1O_2O_3CO_4$ intra universam hanc familiam speciali modo coniuncti sunt inter se. Insuper manifestum est codices $O_2O_3$ secundum eundem textum exemplarem ignotum esse scriptos, et ex altera parte similitudo codicum **C** et $O_4$ talis est, ut horum codicum, nisi sunt ex uno eodemque codice transscripti, proposita saltem magnopere sibi similia esse videantur. Propinquitas quinque codicum Britannicorum ergo per gradus tres descendit, quorum primus est $O_1$, secundus textus quidam exemplaris causans $O_2$ et $O_3$, et tertius duplex aut unus idemque textus exemplaris causans **C** et $O_4$.

Inter **Ma** et **W** talis valet affinitas quoad formam textus, ut ambo, independentes inter se, eiusdem sint familiae.



Pro codice **B** lectionis proprietatum causa longinqua cognatio cum codice **W** est asserenda.

Pro affinitate omnium codicum huius familiae diversimode gradata cfr. in schemate (pag. XXXIV) rectagonum I.

**2°. Quoad codices $MüPTV_1V_2$.**

Codices **MüP** secundum unum eundemque textum exemplarem scriptos esse videntur, quia ambo forma textus radicitus consentiunt, atque etiam in plurimis omissionibus, iis per homoioteleuton non exclusis (cfr. v. gr. pag. 83 versu 1/2 in apparatu critico), inter se conveniunt; ambo Additionem 9 et 10 tantum tradunt et eodem loco textui inserunt. Varietates textus minores satis superque sunt perspicuae, si utrumque textum a diverso scriptore librario transscriptum esse conicitur. Opinioni, quae communem textum exemplarem pro utroque tenet, forsitan opponi possit, quod fragmentum Additionis 1 a codice **P** (fol. 68r—69r) inagnoscibiliter absque ulla notificatione textui insertum deest in codice **Mü** (cfr. infra, pag. 36, notam 36).

Etiamsi codices $TV_1V_2$ quoad formam textus generalem ita penitus conveniunt cum codicibus **MüP**, ut omnes illi quinque codices sint unius eiusdemque familiae, tamen singulis codicibus $TV_1V_2$ tam multae varietates sunt propriae, ut non possimus non iudicare, tres diversos textus exemplares his tribus codicibus fuisse propositos (cfr. in schemate pag. XXXIV rectagonum II).

**3°. Quoad codices AR.**

Codices **AR** a codicibus primae et secundae familiae talibus proprietatibus sunt distincti et tali affinitate vel etiam aequalitate inter se sunt coniuncti, ut tertiam familiam eos esse dicere possimus. Eos secundum eundem textum exemplarem esse scriptos probat aequalis fere forma textus utriusque codicis redundans etiam ad omissiones per homoioteleuton (cfr. v. gr. infra, pag. 59 versu 8/10 in apparatu critico) atque etiam verba textus exemplaris, quae legi non potuerant — ut nostra fert opinio —, in codicibus **AR** sunt perspectibilia, e. gr. **A** scribit „de petere" pro termino „de posterioritate" (cfr. pag. 62 versu 8° in apparatu critico) et **R** hunc terminum omnino praetermittit cum intervallo in textu, quod valde verisimiliter ex eo factum est, quia hoc in loco textus exemplaris communis maxime fuerat obscuratus.

**4°. Quoad affinitatem trium familiarum.**

Familia III, scilicet **AR**, speciali modo similis est codicibus **MüP**, sicut iam dictum est (vide supra, pag. XXXI, itaque est aliquali modo affinis totae familiae II sicut annotatur in schemate.

Familia II et III non habent clare et distincte affinitatem propinquam ad unum codicem familiae I. Omnium codicum huius familiae I codices $\mathbf{O_2O_3}$ maxime relationem ostendunt ad codices familiae II et III, quod demonstratur exemplo: $\mathbf{O_2O_3}$ in eo conveniunt cum **P**, quod $\mathbf{O_2O_3P}$ Additionem 1 (quae omittitur a **Mü**) in fine capituli secundi, $16^{ae}$ conclusiones annotantis, annectunt nomine conclusionis $17^{ae}$ et $18^{ae}$. His in codicibus conclusio $17^{a}$ est inscripta: „Omne excessum habet causam extrinsecam"; et conclusio $18^{a}$; „Nullum causatum est aequale suae causae". Quae inscriptiones in textu sunt linea subter ducta (sic in $\mathbf{O_2O_3}$) vel litteris versalibus (sic in **P**) conspicuae redditae. Codices **AR** Additionem 1 non tradentes conclusionem $17^{am}$ et $18^{am}$ cum suis inscriptionibus tamen enumerant in finali tabula conclusionum atque ibidem annotant eas etiam post conclusionem $16^{am}$ secundi capituli (cfr. infra, pag. 35—36, 168, notas 36, 147).

Cum ergo textus codicum familiae II et III essentialiter conveniat cum textu codicum familiae I, cumque insignis relatio inter codices familiae II/III et codices $\mathbf{O_2O_3}$ familiae I valeat, mutua affinitas codicum uniuscuiusque familiae necnon mutua affinitas trium familiarum ipsarum indicari potest sicut ostenditur sequenti schemate:




*Hoc in schemate quatuor diversae lineae copulativae indicant quatuor gradus propinquitatis descendentes a strictissima in longinquiorem:*



Editoribus omnium operum Ioannis Duns Scoti neque necessarium neque propter ingentem numerum codicum est possibile, omnes lectiones varias omnium codicum in apparatu critico annotare; hanc vero editionem ‚Tractatus de Primo Principio' sic aggressi sumus, et quia respectu numeri relative exigui quindecim codicum huius Tractatus, qui usque adhuc sunt noti, fuit possibile, et quia nobis utile visum est, si hac in editione, cum sit prima critica alicuius operis Ioannis Duns Scoti, omnibus lectoribus traditio textus litteralis quam maxime sit perspectibilis et omnis quaestionum criticarum peritus formam textus, quam proponimus, diligenter excutere possit.

Convenientia omnium quindecim codicum quoad substantiam textus certos nos reddit, formam textus, cum multis fidelissimis testibus affirmetur, notabiliter non posse variari, etiamsi in futuro alii codices Tractatum hunc tradentes inveniuntur.

## V. De Additionibus.

Decem Additiones in fine huius editionis annotatas ipsum Ioannem Duns Scotum habere auctorem arbitramur atque, quamquam in singulis codicibus diversis in locis inveniuntur, sicut quacumque nota prima cuiusvis Additionis accurate indicatur, pro plurimis quodammodo certe indagari potest, ad quod capitulum vel ad quam conclusionem quaevis Additio pertineat.

**1. De authenticitate Additionum breviter disserimus.**

a) Nonnullae Additiones sic allegant ‚Tractatum de Primo Principio', quemadmodum intra textum alicuius operis ipsum opus citari solet, i. e. numero capituli vel conclusionis tantum sine titulo totius operis. Inde concludendum est, has Additiones ut additamenta ‚Tractatus de Primo Principio' esse accipiendas.

Quod demonstratur exemplis: In prima Additione legitur: „... videtur contradicere decimaetertiae conclusioni secundi [scl. capituli], ubi probatur duodecima necessario, quod non omne excessum dependet ab eminente" (cfr. pag. 137/138 versu 13° seqq.); in ‚Tractatu de Primo Principio' autem conclusio $13^{a}$ capituli secundi haec est: „Non omne excessum dependet essentialiter ab eminente". Evidenter ergo Additio prima hoc in loco conclusionem $13^{am}$ capituli secundi affert. Similiter legitur in eadem Additione: „...ex quarta [conclu-

sione] tertii [capituli]" (cfr. pag. 138 versu 21°). — Additio secunda lectorem delegat ad ‚Tractatum de Primo Principio' istis verbis: „... ergo quinta [conclusio] secundi [capituli] falsa" (cfr. pag. 152 versu 3°). — Additio tertia commemorat eodem modo ‚Tractatum de Primo Principio' dicendo: „... patet ex septima [scl. conclusione capituli secundi]" (cfr. pag. 156 versu 7°). Sententia enim hac in Additione tertia disputata eadem est ac illa in ‚Tractatu de Primo Principio' loco citato uberius pertractata. — Denique Additio octava verbis: „ibi arguitur de homine diviso" (cfr. pag. 119 versu 1° seqq.) conclusionem 10$^{am}$ capituli quarti allegare videtur.

b) Si diligenter confertur stilus et terminologia omnium Additionum cum textu ‚Tractatus de Primo Principio', certe intelligitur ‚Tractatum de Primo Principio' et omnes decem Additiones eiusdem esse auctoris. Figurae sermonis et verba Scotistica in Additionibus sunt maxime insignia, e. g.: „Ideo ponitur praedicta conclusio inter credibilia" (cfr. pag. 161 versu 30°/31°); item „qui scit probare per rationem omnipotentiam secundum intellectum Catholicorum", et multa alia.

**2. Quaestio altera**, ubi textui ‚Tractatus de Primo Principio' singulae Additiones sint inserendae, hic etiam disputatur.

Additio prima, a sex codicibus tradita, a **TV$_1$** in fine totius Tractatus, a **MaO$_2$O$_3$ P** autem in fine secundi capituli notatur. Quae Additio se totam conferens ad thema conclusionis 13$^{ae}$ capituli secundi („Non omne excessum dependet essentialiter ab eminente") et pluries istam conclusionem allegans (cfr. pag. 137/138 versu 13° seqq.; pag. 138 versu 15°/16°), additamentum huius conclusionis esse recte dicitur. Quod iudicium eo affirmatur, quod pag. 138 versu 15°/16° legitur: „probatio decimae tertiae", omisso numero capituli, quo praesumi videtur, hanc Additionem ab origine capitulo secundo attributam esse.

Additio secunda, etiam a sex codicibus tradita, in **TV$_1$** sicut et Additio prima in fine totius Tractatus legitur, in **MaO$_2$O$_3$ V$_2$** autem intra conclusionem 9$^{am}$ capituli secundi. **Ma V$_2$** hoc in loco anteponunt Additionem tertiam. Additio secunda quoad rem tractatam congruens cum conclusione 9$^{a}$ capituli secundi huic Additioni addenda esse videtur.

Additio tertia in septem codicibus invenitur, quorum quatuor, i. e. **MaO$_2$O$_3$ V$_2$** una cum Additione secunda eam intra conclusionem 9$^{am}$ capituli secundi, duo alii, i. e. **CO$_4$**, in fine capituli secundi et **T** in fine totius Tractatus collocant. Sicut iam supra dictum est, verbis: „patet ex septima [scl. conclusione capituli secundi]" (cfr. pag. 156 versu 7°), vel: „... ergo quinta [scl. conclusio capituli secundi] falsa" (cfr. pag. 156 versu 17°) capitulum secundum allegatur. Alia allegatio hac in Additione certe demonstrare videtur, eam ad capitulum secundum pertinere; legitur enim sic: „...ordo dependentiae, ... ut habetur in primo capitulo et probatur hic duodecima conclusione ....". Quae res in 12$^{a}$ conclusione capituli secundi tantum agitur. Terminus demonstrativus „hic" ergo ostendit, Additionem tertiam huic capitulo, et si rem omnem spectas, 9$^{ae}$ conclusioni esse propriam.

Additio quarta in quinque codicibus legitur. In **O$_3$CO$_4$** in fine 5$^{ae}$ conclusionis capituli tertii, in **Ma** intra 6$^{am}$ conclusionem eiusdem capituli et in **T** in fine totius Tractatus legitur. Quoad rem tractatam ea 6$^{ae}$ conclusioni capituli tertii est attribuenda, sicut testatur **Ma.**

Additio quinta a tribus codicibus tradita, in **Ma** in fine conclusionis 5$^{ae}$ capituli quarti, in **O$_1$** circa finem 3$^{ae}$ conclusionis capituli quarti, in **T** in fine totius Tractatus invenitur. Legitur hac in Additione: „[Primum efficiens] contingenter causat quidlibet, ex quinta [scl. conclusione] huius [scl. capituli]" (cfr. pag. 160 versu 4°/5°). Quae res autem agitur in 5$^{a}$ conclusione capituli quarti. Termino „huius" ergo patet, hanc Additionem quintam ad capitulum quartum pertinere. Quamquam in fine 5$^{ae}$ conclusionis capituli quarti Additio quinta vel alia in omnibus codicibus locum habuit (cfr. pag. 81 notam 74), tamen iudicandum est, hanc Additionem quintam 9$^{ae}$ conclusioni eiusdem capituli esse propriam; patet enim istis verbis: „videtur contradicere secundae probationi conclusionis huius" (cfr. pag. 160 versu 23°/24°), quibus allegatur nona conclusio (cfr. pag. 94 versu 9—16).

Additio sexta a quinque codicibus traditur, a **MaWO$_1$C** intra conclusionem 9$^{am}$ capituli quarti, etsi in diversis locis eiusdem conclusionis, a **T** in fine totius Tractatus, atque secundum rem est supplementum thematis in 9$^{a}$ conclusione capituli quarti disputati; quamobrem huic conclusioni est adicienda.

Additio septima a quinque codicibus traditur, a **MaCO$_4$ V$_1$** intra conclusionem nonam capituli quarti, etsi in diversis locis eiusdem conclusionis, a **T** in fine totius Tractatus. In 9$^{a}$ conclusione tractantur „septem viae probationis"; **MaCO$_4$ V$_1$**

Additionem septimam intra septimam viam probationis textui inserunt. Legitur in Additione septima: „... sicut supra dictum est in secunda via, ad infinitatem" (cfr. pag. 163 versu 12°; illa „secunda via" incipit pag. 94 versu 9°). Tali ex allegatione „supra" concludendum est, hanc Additionem ad eandem ipsam conclusionem capituli quarti pertinere, sicut fideles testes **MaCO$_4$ V$_1$** testantur, praesertim cum haec Additio secundum rem agitatam sit supplementum „septimae viae probationis".

Additio octava quatuor in codicibus invenitur, in **MaCO$_4$** ea intra 10$^{am}$ conclusionem capituli quarti habetur et in **T** in fine totius Tractatus. Etiam hac in Additione res agitata convenit cum themate illius loci, ubi a **MaCO$_4$** ponitur, qui locus originalis esse videtur.

Additio nona ab octo codicibus traditur. **Ma MüP AR** eam intra 11$^{am}$ conclusionem capituli quarti et **CO$_4$** in fine huius conclusionis collocant. Respectu thematis eam supplementum huius 11$^{ae}$ conclusionis esse iure concluditur.

Additio decima ab omnibus septem codicibus eam tradentibus, scl. **Ma MüPTV$_1$ AR** intra 6$^{am}$ conclusionem capituli tertii ponitur, ad quam secundum quaestionem ibidem disputatam pertinet; secundum quod huic conclusioni esse propriam est concludendum.

Cum absolute et certe non sit diiudicandum, quo in loco singulae Additiones textui sint inserendae, omnes decem Additiones in fine huius editionis collocare maluimus.



## EXPLICATIO SIGLORUM.

### 1. Abbreviationes:

| | |
|---|---|
| add. | = additur intra aliquem textum, v. gr.: est del. et add. ista **W** |
| + | = add., post uncum angulatum, v. gr.: est] + sic **W.** |
| del. | = deletur in textu |
| delendum | = ab editore deletur |
| interlin. | = interlineatum |
| marg. | = margine |
| mut. | = mutatur (mut. superscrib. = mutatur superscribendo) |
| not. | = notatur |
| om. | = omittitur in textu |
| per homoiotel. | = per homoioteleuton |
| ponit. | = ponitur |
| ras. | = rasura |
| sec. | = secunda. |

### 2. Ordo indiciorum in apparatu:

a) Si aliqui codices quoad idem verbum dissentiunt, primo notantur codices, in quibus verbum, de quo quaeritur, habetur manu propria, deinde manu propria in marg., deinde manu sec., deinde manu sec. in marg., deinde a quibus om., deinde a quibus add. (+); codices eiusdem lectionis (v. gr. manu propria) annotantur secundum ordinem numericum, sicut habentur in ‚descriptione codicum' (nr. 1—15).

b) Proprietates alicuius codicis in apparatu critico hoc in ordine annotantur: primo ipsa res (v. gr. tertia), deinde quo loco (v. gr. hic), deinde quid (v. gr. del.), deinde quomodo (v. gr. manu sec.), deinde ubi (v. gr. in marg.), deinde quis (v. gr. codex **W**); ergo: tertia hic del. manu sec. in marg. **W.**

c) Si indicium ‚quomodo' plura indicia ‚quid' attinet, ponitur ante ‚quid', e. gr.: tertia manu sec. del. in textu et ponit. in marg. quarta **W.**

### 3. Annotationes:

a) Annotationes in parenthesibus concavis ( ), quae immediate siglum sequuntur, pro eodem uno siglo tantum valent; v. gr.: **MüP** (+ sic) **TV$_1$**: illud '+ sic' tantum ad **P** pertinet.

b) Annotationes post uncum angulatum, i. e.], positas, si sunt addendae, Comma (,) dividit, si non sunt addendae, semicolon(;), v. gr.: Et] + sic **MaW**, + est **W** (= Et sic est **W**); + non **Mü** (= Et non **Mü**).

c) Omnia in textu intra parentheses angulatas [ ] vel cursive scripta sunt additamenta vel annotationes editoris.

**4. Transpositiones:**

Verba, de quibus quaeritur, ponuntur a n t e uncum angulatum sine abbreviatione, et p o s t uncum angulatum recte ordinantur; hic verba plus quam duas litteras habentes quacumque littera prima abbreviantur. Exemplum: res si notatur] si n. r. **P.**



Incipit primus tractatus de Primo Principio.

**CAPITULUM PRIMUM. De quatuor divisionibus ordinis et de notione dividentium.**

Primum rerum Principium mihi ea credere, sapere ac proferre concedat, quae ipsius placeant maiestati et ad eius contemplationem elevent mentes nostras.

Domine Deus noster, Moysi servo tuo, de tuo nomine filiis Israel proponendo, a te Doctore veracissimo sciscitanti, sciens quid posset de te concipere intellectus mortalium, nomen tuum benedictum reserans, respondisti: EGO SUM, QUI SUM[1]. Tu es verum esse, tu es totum esse. Hoc, si mihi esset possibile, scire vellem. Adiuva me, Domine, inquirentem ad quantam cognitionem de vero esse, quod tu es, possit

**1** Ioannis . . . Principio] *manu sec.* $O_3$; Tractatus Scoti de Primo Principio rerum abbreviatus *B;* Primum Principium Scoti $V_2$; Primum Principium Scoti Doctoris Subtilis *R;* Incipit tractatus de Primo Principio Magistri Ioannis Scoti *manu sec. Ma;* Doctor Subtilis de Primo Principio *manu sec.* $O_4$; Tractatus de Primo Principio Scoti *manu sec. T;* Ioh. Duns Scoti de Primo omnium rerum Principio tractatus *(sequi videtur aliquod vocabulum deletum)* Par. 1573 *manu sec. supralin.Mü;* *om.*$WO_1O_2C$ $PV_1$ *A* / **2** Primo] + Princi *Ma;* — Incipit . . . Principio] Incipit Doctor Subtilis de Primo Principio $O_1$; Incipit tractatus reverendi Magistri fratris Ioannis Scoti, Sacrae Theologiae Doctoris, de Primo Principio, et Quaestiones subtiles, et alia pulchra *manu sec.*$V_1$; *om.*$WO_2O_3CO_4B$ *Mü*$PTV_2$ *AR* / **3** ordinis] + essentialis *manu sec. in marg.W* / **3/4** Capitulum . . . dividentium] *manu sec. in marg.W; om.*$O_1O_2O_3CO_4B$ *Mü*$PTV_1V_2$ *AR* / **4** notione] notificatione *manu sec. in marg.W* — dividentium] + hic proceditur narrative (narrative⟨?⟩ *bis, manu sec. del. primum et ponit. secundum) Ma;* + narrative*(?)W* / **5** rerum *om.T* — rerum Principium] P. r. *Mü* — mihi]me *supralin.W; om.*$V_2$ — sapere *om.MaB T* — ac]atque *R* / **6** placeant] placent *MüB* $TV_1$ — maiestati] magestati *W* $V_1V_2$ — et] ac *P* / **7** elevent] elevant *B*; elevet $V_1$; + Amen $O_1$ / **8** Deus] Dominus *Mü AR* — noster] + qui *P* / **9** a] de *R* — Doctore] decore *B* — veracissimo] verissimo *W Mü*$PV_1V_2$ *AR;* beatissimo *T* — sciscitanti] suscitanti $V_1$ / **10** sciens] + tu *AR* — quid] quem $O_4$ — posset] possit $V_1$ — posset de te concipere] concipere posset *P* — te *om.B* — intellectus] inter *B;* mens $V_2$ — mortalium] + unum *Ma (manu sec. in marg.)* *Mü*$PTV_1V_2$; + unde *AR* / **11** nomen tuum] t. n. $V_2$ — nomen] + id est unum nomen $V_1$ — benedictum *om.R* / **12** sum] + Exod. *W (in marg.)* $PTV_2$ *A;* + Exod. 3 *Mü* *(3 interlin.)* $V_1$ *R* — verum] unum *B* — esse[1]] ens $V_2$ — totum] + ens *del.*$V_2$ — esse[2]] + Hoc credo $O_1O_2O_3CO_4$ — Hoc] + verum *manu sec. interlin. C* — si mihi] m. s. $V_2$ / **13** Adiuva] + ergo *Ma (manu sec. in marg.)* $V_2$ — me] *manu sec. in marg. Ma; om.* $O_3B$ — Domine *om.* $V_1$ / **13/14** inquirentem] inquaerentem $O_4$; requirentem *P* / **14** vero] deo $V_1$ — quod *manu sec. interlin. Ma* — possit] posset *C*

[1] **Exod. 3, 14.** Cfr. Ioan. Duns Scotus, Ox. **1** d. **22** (ed. Vivès X **223-240**).

pertingere nostra ratio naturalis[2] ab ente, quod de te praedicasti, inchoando.

Quamvis entis sint plurimae passiones[3], quarum consideratio valeret ad propositum prosequendum, tamen de ordine essentiali tanquam de medio foecundiori primo prosequar isto modo: in hoc primo capitulo divisiones quatuor ordinis praemittam, ex quibus colligetur quot sunt ordines essentiales.

Manifestatio vero divisionis tot requirit, primo ut dividentia notificentur, et sic ostendantur contineri sub diviso; secundo, ut dividentium repugnantia declaretur; et tertio, ut probetur dividentia evacuare divisum. Primum fiet in hoc capitulo, alia in secundo. Hic igitur divisiones narrando ponam, et rationes dividentium assignabo.

Accipio autem ordinem essentialem, non stricte — ut quidam loquuntur, dicentes posterius ordinari, sed prius vel primum esse supra ordinem — sed communiter, prout ordo est relatio aequiparentiae, dicta de priori respectu posterioris, et e converso, prout scilicet ordinatum sufficienter divi-

---

**1** nostra ratio] r. n. *T*; narratio *B* — de te *manu sec. in marg. Ma* — te *om.P* / **2** inchoando] inchoandi $O_2$ / **3** Quamvis] + autem *MüP AR* — entis *manu sec. interlin. C* — plurimae] plures *R* / **4** valeret] valet *WC Mü*$PTV_1$ *AR* — prosequendum] prosequandum $O_4$ / **5** medio] meo $TV_2$ — foecundiori] secundari $V_1$ — prosequar] prosequatur *P AR;* persequar $V_1$ / **6** hoc *om. AR* — divisiones] dicens *B; om.*$V_1$ — quatuor] quadruplicis $O_1$ — quatuor ordinis] o. q. $V_2$ — ordinis] ordines *B* $V_1$ / **7** quibus] quo *AR* — colligetur] colliges *Mü*$PTV_1$ *AR*; + quod *P*; + tibi *AR* — quot] quod $V_1$ — sunt] sint $WO_1O_2O_3B$ / **9** notificentur] manifestentur *P* — sic] ideo $V_2$ — contineri sub diviso] s. d. c. *B* / **10** ut¹ *om.B* — dividentium] dividentia $V_2$ — declaretur] declarentur $V_2$; manifestetur *R* — et *om.*$WO_1$ *Mü*$PTV_1V_2$ *AR* — tertio *om.B* / **10/11** declaretur . . . dividentia *om. per homoiotel.* $O_4$ / **11** probetur] probentur $V_1V_2$ *A* — evacuare] evacuatur $O_4$ — divisum] + Et *AR* **12** Hic] Has $O_1$ $V_1$ — igitur] vero *C* — divisiones narrando] n. d. *P* **12/13** narrando ponam] p. n. $V_2$ / **13** et *om.W T* — assignabo] assignando $V_2$ / **14** stricte] + sed large *del.*$V_2$ / **15** loquuntur dicentes] loquitur ducentes $V_2$ — posterius ordinari] prius non ordinari $O_2O_3CO_4$; quod tantum id quod est posterius ordinari $O_1$ — posterius] + ad prius *P AR* — ordinari] ordinare *T* — sed] + non $V_2$ — prius *ras. in textu, et manu sec.* posterius *C* — vel] videtur *R* **16** ordinem] + et non sit ordinari quod sit infra ordinem $O_1$ — sed] set *Mü* / **17** relatio] ratio $V_2$ — aequiparantiae] aequaeparantiae $O_4$ — de priori] prioris *B* — priori] priore *A* / **18** e converso] econtra $V_2$; + scilicet $O_4$ — prout scilicet] s. p. *C* — scilicet] si *B* — ordinatum] + ordinatum $V_1$ — ordinatum sufficienter *om.*$V_2$

---

[2] Cfr. Ox. 1 d. 3 qq. 1-2 (IX 8-85); Ox. 1 d. 8 q. 3 nn. 8-10 (IX 584-586).
[3] Cfr. Ox. 1 d. 3 q. 3 n. 6 (IX 102a-103b); Ox. 1 d. 8 q. 3 n. 19 (IX 598);



ditur per prius et posterius. Sic igitur quandoque de ordine, quandoque de prioritate vel posterioritate fiet sermo.

**Prima divisio.** Dico ergo primo, quod ordo essentialis videtur primaria divisione dividi, sicut aequivocum in aequivocata, in ordinem eminentiae et in ordinem dependentiae.

Primo modo prius dicitur eminens, et posterius, quod est excessum. Ut breviter dicatur: quidquid est perfectius et nobilius secundum essentiam, est sic prius. Hoc modo prioritatis probat A r i s t o t e l e s[4] 9º Metaphysicae actum esse priorem potentia[5], ubi istud prius vocat secundum substantiam et speciem: quae, inquit, generatione sunt posteriora, specie et substantia sunt priora.

Secundo modo prius dicitur, a quo aliquid dependet, et

---

**1** Sic] Sicut $O_2$ — igitur] ergo *CB* — quandoque de ordine *om.Ma AR* / **2** vel] et *Mü*$PTV_1V_2$; quandoque de *AR* — et (*pro* vel) posterioritate *manu sec. interlin. P* — posterioritate] + posterius *A* / **3** *Ante* Prima div. *add. manu sec. in marg.:* ordo eminentiae-dependentiae *T*, . . .(?) notione eminentiae . . .(?) $V_1$ — Prima div.] + ordinis *Ma; in marg.:* $WO_2O_3C$ *P*, + ordinis *P; manu sec. in marg.:* $V_1$, + ordinis in ordinem . . .(?) dependentiae $V_1$, + ordo essentialis secundum eminentiam-dependentiam *W; om.* $O_1$ $O_4B$ *Mü*$TV_1V_2$ *AR* — Dico ergo primo] Dicendum e. p. *Mü;* p. e. dicendum *P*; p. igitur (ergo *R*) dicendum (+ est *R*) *AR* — ergo] igitur $O_1O_2O_4$ $TV_2$ *A* — primo *om.*$V_2$ / **4** videtur *om.*$O_2O_3$ — primaria] + sua *B*; + sui *P* — dividi] dividitur $O_2O_3$*; om.*$V_1$ — sicut *om.B* — aequivocum] *ras. in textu et ponit. in marg. W;* aequaevocum $O_4$; aequivocatum $O_2O_3$ — in] et $V_1$ / **4/5** aequivocata] aequivoca *W Mü*$V_1$; aequaevocata $O_4$; aequivocatum *B;* + scilicet *Mü*$PTV_1V_2$ *AR* / **5** in *om.*$V_2$ — dependentiae] independentiae *W* / **6** prius dicitur] d. p. $CO_4$ — dicitur eminens] e. d. *AR* — quod] + non $V_1$ / **7** excessum] + ut videtur *deinde ras. et om.* ut breviter *T*; + et *MüP AR* **7/8** et nobilius *om.T* — perfectius et nobilius] n. et p. $V_1$ / **8** essentiam] eminentiam *P*; + illud $V_1$ — est sic] s. e. $O_2O_3CO_4$ *AR* — sic] si $V_2$ / **8/9** prioritatis] posterioritatis *B* $V_2$ / **9** probat Aristoteles] A. p. *A* — probat] + sic $V_2$ — esse *om.*$V_1$ / **9/10** esse priorem] p. e. $V_2$ / **10** ubi] + idem *AR* — istud] illud *B Mü AR*; idem + (*manu sec. interlin.*) Aristoteles *P*; ibidem *C* — prius *om.*$V_1$ — vocat] notat *T* / **10/11** substantiam] + substantiam *in marg.* $O_1$ — **11** et] + secundum *P* — inquit] in quid *Mü* — generatione] genere *B* — posteriora] + illa *P* / **12** specie] supra (?) *P* — et substantia *om. P* — substantia] + et solum *C* — priora] po͞m *C; in marg.* (posteriora *del. in textu*) $O_1$ / **13** modo] + aliquod *P* — prius dicitur] d. p. *P* — dicitur] dicidur *Mü*; + aliquo *R* — quo] + non $V_2$ — aliquid] + quid *Mü; om. B* — aliquid dependet] d. a. $V_2$ — et *om. B.*

---

Ox 1 d. 39 n. 13 (X 625a-626a); Ox. 2 d. 1 q. 4 n. 25 (XI 124a-125b); Ox. 2 d. 16 n. 17 (XIII 43).
[4] A r i s t o t e l e s, Metaph. 1 c. 7 (ed. Bekkeri Vol. II 989 A 15—16): εἰ δ' ἔστι τὸ τῇ γενέσει ὕστερον, τῇ φύσει πρότερον.
[5] Cfr. Ox. 1 d. 3 q. 2 n. 21 (IX 47b-48a); Ox. 4 d. 49 q. 2 n. 10 (XXI 16).

posterius, quod dependet. Huius prioris hanc intelligo rationem, quam et Aristoteles[6] 5º Metaphysicae testimonio Platonis ostendit: prius secundum naturam et essentiam est, quod contingit esse sine posteriori, non e converso. Quod ita intelligo, quod, licet prius necessario causet posterius et ideo sine ipso esse non possit, hoc tamen non est, quia ad esse suum egeat posteriori, sed e converso; quia si ponatur posterius non esse, nihilominus prius erit sine inclusione contradictionis[7]; non sic e converso, quia posterius eget priore[8], quam indigentiam possumus dependentiam appellare, ut dicamus, omne posterius essentialiter a priore necessario dependere, non e converso, licet quandoque necessario posterius consequatur istud. Prius et posterius possunt dici secundum substantiam et speciem, sicut alia dicta sunt; tamen, ad

**1** posterius] + ubi *del. in textu C* — dependet] dependete *C*; + ubi isto prius *del. in textu C;* + ab illo *Mü*; + ab eo *P* — prioris] prioritatis *AR* — intelligo] + sic $V_2$ / **2** quam] quia *B* — et] etiam *MüPT*$V_1$ *AR; om.* $O_2$*B* $V_2$ / **4** est *om.*$V_2$ — posteriori] priori $O_2$; + et $O_1$ *P*$V_2$ *AR* — non] + autem *B* — *hic in marg.* nota bene *A* / **5** prius] si prius sit *P* — causet] causaret *WC* $V_1V_2$; causat *P* — causet posterius] caret posteriori *B* / **6** ideo] + posterius *manu sec. interlin.P* — esse non possit] possit esse *B* — non² *om.B* — quia] quod *B* $V_2$ / **7** esse suum] primum *Ma* — ponatur] ponitur $O_1$; ponat *T* / **8** posterius *manu sec. interlin. MüP* — posterius non esse] n. e. p. *AR* — nihilominus] et minus *Ma*; non minus *MüPT*$V_1V_2$ *AR;* + immo et prius *manu sec. interlin. P* — erit] est *T* / **8/9** sine inclusione contradictionis] *in marg. W, manu sec. in marg. C*$O_4$ *Mü*; sine contradictione *AR; om.*$O_1O_2O_3$ *P*$V_2$ / **9** sic] sit $V_1$ — eget] *manu sec. supralin., atque in textu* esset *Mü;* esset $O_1$ — priore] priori *WB MüT*$V_1V_2$ *AR; om. P* / **10** dependentiam appellare] a. d. $O_1$ **10/11** dicamus] dicatur *AR* / **11** omne] esse *P*$V_2$ — a] *interlin., atque in textu* a *R* — priore] priori $V_2$ *AR* / **11/12** necessario dependere] dependet n. *B* — essentialiter . . . posterius *manu sec. in marg.Mü* / **12** quandoque] quando $O_2$ / **12/13** necessario posterius consequatur] p. n. c. $O_1O_2O_3$*B* *P;* p. c. n. *C*$O_4$ n. p. sequatur *Mü;* p. n. sequatur prius *A*; p. sequatur prius necessario *R* — / **13** istud] illud *B; om. AR* — et posterius] Et quamvis ista *MüP* *AR* — possunt] possint *MüP* *R; om. A* — possunt dici] d. possint *R* — dici] + etiam sic prius et posterius et cetera et possint dici *Mü*; + et sic prius et posterius etiam prius et posterius possunt dici *P*; + prius et posterius *AR* — Prius . . . dici] Et quamvis ista possint dici etiam sic prius *cum indicatione ‚va-cat' Mü* / **14** alia] supra $V_2$ — dicta sunt] s. d. *P* — sunt] + et *T*.

[6] Aristoteles, Metaph. 6 c. 1 (Vol. II 1028 A 30—31): ὥστε τὸ πρώτως ὂν καὶ οὐ τὶ ὂν ἀλλ᾽ ὂν ἁπλῶς ἡ οὐσία ἂν εἴη.

[7] Cfr. Ox. 2 d. 3 q. 4 n. 9 (IX 176a-177a).

[8] Cfr. Ox. 4 d. 11 q. 3 n. 29 (XVII 398a-399a); Ox. 2 d. 3 q. 4 n. 9 (IX 176a-177a); Ox. 3 d. 36 n. 19 (XV 654 b).



distincte loquendum, dicantur prius et posterius secundum dependentiam.

**Secunda divisio.** Ordine secundum eminentiam indiviso manente subdivido ordinem dependentiae, quia dependens aut est causatum, et illud, a quo dependet, est eius causa; aut dependens est causatum remotius alicuius causae, et illud, a quo dependet, est causatum propinquius eiusdem causae.

Huius divisionis secundae ratio primi membri satis nota est, et quod illud continetur sub diviso; patet enim quid causa, quid causatum, et quod causatum essentialiter dependet a causa et causa est a qua dependet, secundum rationem suprapositam prioris hic divisi.

Sed secundum membrum huius secundae divisionis nec in se patet, nec qualiter sub diviso continetur.

Primum declaratur sic: si eiusdem causae sint duo effectus, quorum unus prius et immediatius natus est causari ab

**1** loquendum] loquandum $O_4$ — dicantur] dicuntur *MüP* *AR* / **3** Secunda divisio] Prima (*del.*) divisio secunda (sec. *manu sec.*) *Ma; in marg.:* $O_3$*C, ras.* $O_2$*, del.*$V_2$, secunda divisio ordinis *P*, secunda (?) divisio causati ad causam causati, ad causatum (?) propinquius $V_1$*; manu sec. in marg.W* — Ordine] Ordinis *R; ras.* . . . rdine *P* — eminentiam] emincientiam *Ma* **3/4** indiviso manente] m. i. *AR;* remanente i. $V_2$ / **4** manente] re(*manu sec. interlin.*)manente *C* — subdivido] subdividendo $O_1$*B* *P* **5** causatum] tantum *T*; datum $V_1$*; manu sec. in marg.* + tantum *in textu Ma* — illud] id *AR* — illud a quo] a. q. i. $V_1$ — a *manu sec. interlin. Mü* — est² *om.*$V_2$ / **5/6** eius causa] c. e. $O_1$ / **6** dependens est causatum] e. c. d. *B* — est] + eius $V_2$ — alicuius *om.*$V_2$ / **6/7** causae] esse *B* / **7/8** et . . . causae *om. per homoiotel.* $V_1$ / **9** Huius div. sec. ratio pr. membri] r. p. m. h. s. d. *MüT*$V_1V_2$ *AR*; huius ordinis secundi r. p. m. *B*; r. p. m. h. d. [*om.* secundae] *P* / **10** illud] + quod $O_2O_3$*B; post* illud *ras.W* — continetur] contimetur *C*; contineatur $V_2$ *R* — quid] + est *C*$O_4$*; om.T* / **11** causa] + et $O_1$*C*$O_4$ *MüPT*$V_1V_2$ *AR* *B(interlin.)* — et quod causatum *om. per homoiotel.B* — causatum essentialiter] e. c. $O_2O_3$ / **12** a causa . . . dependet *om. per homoiotel.Mü* — et . . . dependet *om.* $O_4$ — et] + quod *PT*$V_1V_2$ *AR* — est *om.B* — qua] quo *T* — dependet] + causatum *manu sec. in marg. Ma* / **13** suprapositam] suppositam $O_1O_4$ *T;* supradictam $O_2O_3$; supra positi *B* — prioris] priorum *W* *T*$V_1$ — hic] huius $O_1$ $V_1$ *R* / **14** secundae] s'e *del. in textu et add. manu sec. in marg.* 2ᵉ *Ma;* tertiae $V_1$*; om.R* / **15** qualiter] aequaliter *B* — sub diviso continetur] c. s. d. *P* — continetur] contineatur $V_2$ / **16** declaratur] determinatur $O_1$ — declaratur sic] s. d. $V_2$ — sint] sunt $O_2O_3$*C*$O_4$ *P*$V_1$; essent *B* — duo] 2º *C* / **17** unus] unum $V_2$ — et *om.*$V_2$ — immediatius] eminentius $O_4$ $V_2$ — natus est] e. n. *B* — est *om.T*$V_1$

illa causa, alius autem non nisi illo immediatiore iam causato, dico illum alium esse posterius causatum respectu eiusdem causae, et immediatiorem esse prius causatum; haec est ratio huius membri.

Ex hoc secundo ostendo, quod continetur sub diviso, quod scilicet effectus remotior dependet essentialiter a propinquiore: tum, quia non potest esse illo non existente; tum, quia causalitas causae respicit illa ordinate; igitur; et e converso: ista habent ordinem essentialem inter se, ut comparantur ad tertium quod est causa amborum; igitur et inter se absolute; tum tertio, quia causa talis non intelligitur ex se nisi causa propinqua solius proximi; et illo non causato intelligitur quasi remota respectu aliorum; sed illo iam causato intelligitur ut proxima respectu secundi; a causa autem remota sola inquantum remota, non est causatum; ergo se-

**1** illa] ista *WB* $V_1$ — non *om.R* — nisi] in $O_4$; + mediante *AR* — — illo] isto *W*$O_1$ *PT*$V_1V_2$*; om.A* — immediatiore] immediatiori $O_1$; eminentiori $V_2$ — iam] *om.R; manu sec. supralin. P* / **1/2** immediatiore iam causato] c. im. *R* — iam causato *om.T* / **2** dico] dicit *Mü;* dicimus $V_2$ — esse posterius] p. e. + esse *P* — causatum] + esse *del.Mü* / **3** et] *manu sec. interlin. W Mü; om. P;* eius $V_2$ — immediatiorem] eminentiorem $V_2$; + iam causatum *MüP A;* + effectum iam causatum *R* — esse] essentiae $V_1$ / **4** huius] secundi $O_1$; + secundi *C*$O_4$ — ratio huius membri] h. (+ divisionis *R*) m. r. *AR* / **5** Ex] Et $V_1$ — Ex hoc *om.*$O_1$ — hoc] quo *R* — secundo ostendo] o. s. *C*$O_4$ — ostendo] dico $O_2$ — continetur] contietur *Mü* / **6/7** propinquiore] propinquiori *B R* / **7** tum[1]] causa *B* — esse] eter *W* — illo] ista *B* — tum[2]] causa *B*; + **2** *manu sec. in marg.W* / **8** quia] + illa *MüPT*$V_1$ — causae] esse *B* — ordinate *om. B* — igitur] ergo $O_3$*C AR* — et *om.T AR* / **9** ista] illa $O_2O_3O_4$; ita $V_2$ — ut] et *B* / **9/11** ut . . . inter se *om. per homoiotel. in textu sed. add. manu sec. in marg. Ma* / **10** ad tertium *in marg.* $V_2$ — tertium] $2^m$ *T* — amborum] aliorum $O_1$ — igitur] ergo *Ma (in marg.) CB* $V_2$; *manu sec. in marg.W; om.Mü AR* — et *om.*$O_1$*B* $V_1$*P* — igitur et] et i. *T* / **10/11** igitur et inter se] vel amborum vel inter se *P* / **11** se] + ut $O_2$ — quia] et *B* — causa *om. Ma T* — intelligitur] + esse *P* / **11/12** ex se *in marg. A* / **12** propinqua] + illius $O_2$*C* — solius] + effectus *AR* — proximi] + effectus *P* — illo] isto *C*$O_4$*B;* primo $V_2$ / **11/13** ex . . . intelligitur *om. per homoiotel.* $V_1$ — **13** intelligitur *bis in textu (supralin. et infralin.) A* — quasi] quia $V_1$; causa *R* — remota] + causa *MüPT*$V_1V_2$ *A (supralin.)* — sed] si $O_4$ — sed illo *om.B* — illo] isto $V_2$ — iam] + non $O_2O_3$; + autem *B* / **13/14** quasi . . . intelligitur *om. per homoiotel. in textu sed add. in marg.* $O_3$ / **14** intelligitur] + quasi $V_2$ — proxima] proximi *Mü* — a *om. B* — autem *om.* $O_1$ *T* / **15** sola] praecise *P AR;* solo $V_1$ — sola inq. rem. *manu sec. in marg. W Mü* — inquantum remota *om. P AR* — remota *om.*$V_1$ — ergo] igitur $O_1O_2O_4$ *MüPT*$V_1V_2$.



cundum dependet a causa, ut quae posuit propinquius in esse; igitur et ab esse propinquiore.

**Tertia divisio.** Istius secundae divisionis utrumque membrum subdividitur. Subdivido primo secundum, quia consonat iam praedictis. Nam prius, quod est causatum propinquius causae, non tantum dicitur quod est propinquius causae proximae utriusque, sed etiam remotae, puta si proxima unius sit A, non est aliquo modo causa alterius, sit B, sed aliqua alia causa prior est causa eius B proxima, et est causa remota illius, cuius alia est causa proxima; adhuc inter ista causata erit ordo essentialis ut causati prioris ad posterius causatum, et hoc si causalitas causae communis amborum secundum essentialem ordinem illa respiciat ut causata.

**1** causa] + causa posita *manu sec. infralin. W;* + a causa *A* — ut] *del. manu sec. in textu et pro eo ponit. in marg.* quae *Ma; om. C*$O_4$ *MüPT*$V_1V_2$ *AR* — quae *om. B* — posuit] ponit *C* $V_2$; + ipsum *MüPT*$V_1V_2$ *AR;* + ipsum *manu sec. in marg.C* — propinquius] propinquum *B* / **2** igitur] ergo *CB MüP*$V_2$ *AR* — et *om.MüP* — ab *supralin.W* — esse] + causae *C*$O_4$ — propinquiore] propinquioris *CB*; propinquiorum $O_4$; propinquiori *R* / **3** Tertia divisio] *in marg.:* Tertia divisio $O_2O_3O_4$, tertia subd. . . (?) causae prop. . .(?) causae prox. . .(?) causae rem. . . (?) $V_1$, *del.* subdivisio membrorum $V_2$, + ordinis *P*; *om.W*$O_1$*CB MüT AR* — secundae *om.* $V_1$ — divisionis] subdivisionis $V_2$ / **4** subdividitur] subdividit *T* — Subdivido] Subdividendo $O_2O_3$*C*$O_4$ *MüPT AR* — secundum] primum $V_1$ — quia] quod *R*; + primum *Mü* / **5** prius] *in marg. A;* + est *Mü*; + est i(?) *P* / **6** causae] esse *B;* + utriusque *del. in textu A* — tantum dicitur] d. t. $O_1$ — causae . . . propinquius *om. per homoiotel. T R* — propinquius] + causatum $O_2O_3$ / **7** utriusque] *in marg. A Mü (manu sec.)* — etiam] et *B*; econverso *R* — puta] principia *R* — si] quod $V_1$; + causa *P AR* — proxima] + causa *Ma (manu sec. in marg.) C*$O_4$ *Mü T*$V_1V_2$ / **8** unius sit] s. u. *B* — unius] *om.W*; + causati *C*$O_4$; + quae *MüP*$V_1V_2$ — sit A] *manu sec. in marg. Mü; om. Ma*$O_4$*B P;* scilicet in quo $O_4$; + utrius*W*; + quod *C*; + quae $V_1$ — est] sit *MüP*$V_1V_2$; fit *T* — alterius] + causati *MüP*; + quae *Mü(manu sec. interlin.)* $V_2$ — sit B] sive B $O_1$; *om. MaB* — sed] et $O_4$; si *P* / **9** aliqua] *om. AR; mutatur manu sec.* alia *in* aliqua *W* — alia *om.B P* — alia causa] c. a. *T* — causa[1] *om.Mü* — causa prior est] p. c. e. *C*$O_4$; e. p. c. $O_1$ — prior *om.P R* — est[1]] + est $O_1$ — causa eius *om.R* — causa eius B proxima] c. B. e. p. *W*; g causa i(?) scilicet eius proxima *P;* c. p. B *C*$O_1$; c. B p. *A* — B *om. Ma* $O_2O_3$*B* — eius *om.C*$O_4$ *A* — et *om.R* **9/10** alia . . . alia est *manu sec. in marg. Mü* — et . . . proxima] *manu sec. in marg. MaW; om.P* / **10** illius] istius *WC*$O_4$ $V_1$ — cuius *om.R* — cuius . . . proxima] cuius alia proxima est *in marg. A* — alia causa est proxima] e. a. c. p. $V_2$; c. a. p. e. *R* — alia] illa $O_2O_3$ — causa] + scilicet eius *del. in textu Mü; om. Ma* — proxima] + scilicet B *C*$O_4$ — inter] *supralin. Ma; om.* $O_4$ / **10/11** inter ista] inter illa *in marg.C (del. in textu* ista [i$^a$] *et ponitur pro eo in marg.* illa) / **11** ista causata] istas causas *P* — erit] est $O_1$; + iste *C* / **11/12** posterius causatum] c. p. *PT*$V_2$ — causae *om.*$O_1$ / **13** essentialem ordinem] o. e. *T*$V_1V_2$ — illa] ista *Mü* — illa respiciat] r. i. *Ma* — causata]

